RB185,185

Presented to the

LIBRARY *of the*

UNIVERSITY OF TORONTO

by

Professor

Ralph G. Stanton

P.3915

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/reverendissimipa00mace

[illegible]

2/– [illegible]

REVERENDISSIMI PATRIS

FR. FRANCISCI DE MACEDO

MINORITÆ LVSITANI

Conimbricenſis, Rhetorices, ac Poetices Magiſtri Primarij Vlyſſipone, Conimbricæ, ac Madriti,

CARMINA SELECTA.

VLYSSIPONE:

Apud MICHAELEM DESLANDES.

Anno MDCLXXXIII.

Cum facultate Superiorum.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
D. D.
LVDOVICO SOVSA

ARCHIEPISCOPO VLYSSIPO-
nenſi, Sereniſſimi Regij Principis PETRI
Luſitaniæ regni juſti Regentis Hierarchæ; &
Conſiliario Regij Statûs Cordatiſſimo, &c.

NVNCVPATORIA INSCRIPTIO.

P*Atere, Archipræſul Illuſtriſſime, ut hæc Luſitani Apollinis Laurus tuo ſub Nomine in lucem erumpat, quò perpetuò vireat, & auſpicatò; cujus enim auſpicijs æternùm, ni ſplendidiſſimo Ludovici ſidere, an ſole, ſplendorem largiùs hauriret, & omnia invidiæ fulmina feliciùs illuderit? Perfer, Domine Reverendiſſime, ut vernantes iſtæ Macedi*

hederæ tuas ad plantas hæreant, quò in doctarum vertices frontium indè altiùs pullulent, & amæniùs progerminent. Suſtine, Abſolutiſſima Regalium Florum Idea, ut faſciculus hic varijs hinc, inde decerptis poematum floribus intextus ad manus ſubeat tuas, quò ſuaviùs omnium oculos deprædetur; & tuæ Claritudinis radijs illuſtratus gratiùs vernet, pulchriùſque attrectantibus arrideat. Tuum eſt hoc Opus, quia multis devinctum titulis Authorem feciſti tuum; & tuam in patrocinium poſcit Amplitudinem Divina propè carminum majeſtas; æquũ enim eſt, ut pro Mæcenate Lemniſcatum Herôum Principem colat, qui ut facilè Princeps, & laureatus heroicorum Vatum Primipillus à Luſitanis excolitur. Concinnâ, & bene tornatâ poeſis varietate, variâque argumentorum concinnitate Te mirificè delectabit; uno non debuit opus circunſcribi poeſis aucupio ad palatum, cùm tuæ morem gerere voluntati in omnibus ſtudeat. Varias Europæ regiones, Hiſpaniam, Galliam, Angliam, Belgium, & Italiam pervagatus Author in laudem multorum, & magnorum Principum, quibus ob eximiam philologiam charus fuit, poemata iſta compoſuit: nunc in Te unũ aggregantur univerſa, quia omnes unus dotibus ſupereminès; & collecta tenes ornamenta, quæ per

alios

alios diſperſit genius, ac ingenium. Animo dum eſſet à curis vacuo, eis pangendis curiosè vacavit, jam tum animo (uti credo) præſagiens eò gloriæ deventura, ut ad Tuæ Amplitudinis ſolium accederent, ubi ſe coli, & diligi non ignorabat. Illud profectò mirum, quòd graviorum diſciplinarum ſtudijs intentus non minorem ad hæc omnia ſenſum præſeferret: in utroque maximus, & multa, & magna ſcripſit ſummo omnium plauſu, ingentique Reipublicæ litterariæ proventu, ac decore: ſupra quadraginta non exiguæ magnitudinis tomos in lucem protulit, omneſque non aliâ, quàm publicæ utilitatis uſurâ; communis vel ex eo dicendus Pater, quòd tantum ſcribendi laborem pro communi omnium bono non abnuerit: hiſce tuam, quam ad orbis oraculum, an novum miraculum, Vlyſſiponenſi Vrbe inſtruis, ac exornas, Bibliothecam ditare voluiſti, ne tam pretioſis librorum gemmis careret ditiſſimus litterarum omnium theſaurus. Magnum quidem hoc tuæ in Macedum benevolentiæ, ac æſtimationis argumentum; maius tamen illud, quòd ejus effigiem vivis coloribus expreſſam tuo in Athenæo, loco ad admirationem conſpicuo, collocaſti; vel ad ipſarummet litterarum triumphum, ut ab omnibus videri poſſit, & amari viva ſcientiarum omnium

nium imago; vel in Tui erga illum amoris trophæum, ut nimirùm effigie ad oculos appenſâ, abſentem aſpicias ad deſiderium, quem præſentem intuebaris ad honorem. Hoc unum ſupererat ad beneficiorum coronam, ut quando Macedum clariſſimo tuæ humanitatis ſplendore vivum obumbraſti ad gloriæ famam, & ad vivum jam mortuum in tabella adumbratum ſervas ad gloriam, fulgentiſſimâ etiam Tui Nominis umbrâ hoc illius foveas opus ad æſtimationem; floridum ſanè, quia Te Florem verè Regium, & ſcriptum nomina Regum, virtutumque omnium dotibus, & ſcientiarum acumine florentem ſeligit in Patronum: cui hoc unum addo, ut, quot ſunt ſyllabæ, tot ſint in te unum vota; quot apices, tot noſtrum omnium affectus; quot voces, tot præconia; quot carmina, tot annorum ambitus; quibus, quam felicitas tua pollicetur gloriam aſſequatur. Vale in annos plurimos ad Reipublicæ Chriſtianæ, & litterariæ decus immortale.

Amplitudinis tuæ illuſtriſſimæ

Servus ex animo obſequentiſſimus

Antonius de Macedo.

LECTORI CURIOSO.

OPeræ pretium me facturum putavi, ſi R. P. Franciſci de Macedo Luſitani, Poetæ laudatiſſimi, Carmina typis mandarem, eaque publici juris facerem, quòd magno Reipublicæ litterariæ bono futurum exiſtimē; ſublato enim inter cælites Macedo, procul Orbe migraſſent Muſæ, niſi & harum, & Orbis ſolatio ſimilem ſibi ſpeciem reliquiſſet. Multa quidem hujus Authoris opera, vel temporum injuria, vel hominū incuria, periērūt: ſuperſunt tamen multa, è quibus, ceu floribus, faſciculum, vel juſtæ molis tomum componi, & conflari curavi: faxit Deus, ut alteri adornādo materiem ſuppeditent, quæ invenientur, tempore procedente, poemata. Illud præſertim, quo nitidiſſime deſcripſit Rupem, *Santa Baume*, Gallice, ni fallor, dictam, in qua Sancta Maria Magdalena prope Maſſiliam pænitentis habitu, & more vixit: & Anienis fluvij præcipitis, & Palatij, ac Villæ Eminentiſſimi Cardinalis Eſtenſis, Hexametris ſeptingentis. Multa, dum litteras humaniores

Author docuit Ulyſſipone, & Conimbricæ in Luſitania. Multa Madriti in Hiſpania, ubi Poetices, Rhetorices, & Chronologiæ magiſtrum egit, in Gallijs multa in lucem dedit: Romæ plura, ubi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in Academia Romana, ſeu Sapientia; & Theologiæ Polemicæ in Collegio de propaganda Fide cathedras moderatus eſt: venâ uberrime fluente, compoſuit; cum ſcilicet per tempus vacabat à ſeverioribus diſciplinis, animumque ad amæniores, & humaniores litteras avocabat. Innumera, vel ſubito effundebat calore, vel compoſita ad otium mente carmina ſumma felicitate pangebat. Sæpè viſus, & auditus fuit Vlyſſipone, Conimbricæ, Madriti, Pariſijs, Romæ, Venetijs, Patavij, præſtituto ad id die, & loco, qua de re cunque quis vellet, ſive ſolutâ, ſive ligatâ oratione ex tempore dicere uſque ad plauſum, non ſine admiratione adſtantium. His interim, quæ afferimus, dum alia paramus, Lector, fruere, & vale.

Quæ in hoc volumine continentur, ſequens pagina indicabit.

INDEX

INDEX

Totius operis.

Romæ Epica Deſcriptio. pag. 1.
Apes Barberinæ. p. 12.
Lyra Barberina. p. 21.
Alexandri VII. Inauguratio. p. 29.
Ejuſdem Pontificis Coronatio. p. 33.
Ejuſdem Pompa Triumphalis. p. 39.
Cathedra S. Petri Romana. p. 47.
Principi Condæo Epinicium. p. 63.
Chriſtinæ Suecorum Reginæ Corona. p. 71.
Roma Chriſtinæ. p. 79.
Eminentiſſimo D. Card. Spada Deliciæ Tiburtinæ. pag. 83.
Sereniſſimo D. D. Theodoſio Portugalliæ Principi Elogium. p. 93.
Sereniſſimo D. D. Petro recens nato Portugalliæ Principi Carmen Genethliacum. p. 97.
Æreum trium Regiarum Imaginum. p. 111.
Statua Equeſtris Capitolina Marci Aurelij. p. 1:3.
Laurus Harcurtia Trilaurea. p. 135.

Eminen-

Eminentiſſimo Card. Duci Richelio Epigram. p.154.
Statua Equeſtris Regis Galliæ Ludovici XIII. p.155.
Sereniſſimorum Principum Ioannis Friderici, & Benedictæ Palatinæ Epithal. p.163.
Illuſtriſſimo, Reverendiſſimo D.D. Aloyſio de Souſa Archiepiſcopo Bracharenſi, ad Innocentium Papam XI. Legato Extraordinario Poema Epicum. p.167.
Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo D. D. Ludovico Bretelio Archiepiſcopo Aquenſi Ruſticanæ ſuæ Domus Poetica Deſcriptio. p.187.
In Triumphali Pompa Excellentiſſimi D. D. Franciſci à Souſa &c. Legati Extraordinarij ad Sãctiſſimum P. D. N. Clementem X. Votum Poeticum. p.205.
Pompa Triumphalis Excellentiſſimi D. Marchionis de Fontane. p.225.
Turris lignea, qua Sanctiſſimum Chriſti Corpus vehi ſolet per Vrbẽ Vincentiã in ſtatu Veneto. p.233.
Divinum Sympoſium Conimbricenſe. p.237.
Trophæum Epicum pro victoria de Claſſe Turcica Venetis erectum. p.241.
In Sereniſſimam Venetorum Rempub. Elog. p.266.
Spectaculum ferarum Madritenſe. p.277.

Eminen-

Eminentiſſimo D. Cardinali Iulio Mazarino Elogium. p.285.
Orpheus Tragicomædia. p.288.
Queſtus in Fortunam. p.215.
B. Magdalenæ Vita in Maſſilia exulantis. p.319.
Lamentationes Hieremiæ elegis redditæ. p.345.
Pſalmus David Miſerere ad elegantiam redactus. pag. 369.
In obitum Eminentiſſimi Cardinalis Spadæ Nænia Lyrica. p.375.
Ad eundem epitaphium. p.380.
Batavorum Reipub. dirutæ Epicedium. p.383.
Christina Regina Alex. Sũmo Pontifici Epigr. p.385.
Alexander Chriſtinæ. p.386.
Heroinæ Romanæ Chriſtinã Heroidẽ excipiũt. p.387.
Chriſtinæ die S. Thomæ Apoſtolo ſacra Romam ingredienti Epigr. p.391.
In Chriſti Natali die accipit Euchariſtiã. Epigr. p.392.
Sacro chriſmate initiatur à Sũm. Pont. Epigr. p.392.
Prandet cum Alexandro. Epigr. p.393.
Aliud ad idem. Ibid.
In Circuncisionis die Domum Profeſſam Societatis IESV adit. Epigr. p.394.
Eccleſiam S. Iacobi in anniverſario ejuſdem Tranſlationis

lationis die viſitat. p.394.
Mortem è plumbo fingi jubet Alexander Septimus. *Epigr.* p.395.
In diẽ Coronationis eju∫dem Pontificis.Epigr. Ibid.
Alexander Septimus *vixdum creatus Pontifex Cap∫am ∫ibi è plumbo futurum conditorium, fieri jubet. Epigr.* p.396.
Excellentiſſimo Principi D.Franciſco de Borja, &c. *Epigr.* p.399.
Illuſtriſſimo Martyri Iacobo Carvalio pro Chriſti nomine nive oppreſſo Epigr. p.401.
In effigiem Illuſtriſſimi D. D. Dionyſij Maſſarij, &c. Epigr. p.403.
In effigiem Sereniſſimi Luſitaniæ Principis Theodoſij. Epigr. p.404.
In eandem effigiem aliud. Ibid.
Elenchus librorum P.Franciſci à S.Auguſtino Macedo in lucem editorum. p.407.

LICEN

LICENÇAS

Cenſura admodum R. P. M. Fr. Antonij ab Archangelis.

HVnc non librum, ſed librorum acervum poſſe prælo mandari cenſeo; cum enim nil in eo contra Orthodoxæ Fidei documenta inveniã; merito, ut tanti Viri illuſtrata ingenio Luſitania ab extraneis ingenioſa veneretur; ſat, ut quod ejus carmina Romæ, Pariſijs, Madriti, Londini, Venetijs, & alibi decantata, in Luſitania promulgentur. Hæc mea mens. Vlyſſipone in Conventu Sanctæ Mariæ de JESV de Xabregas die 14. Decembris. 1681.

Frater Antonius ab Archangelis.

Cenſura admodum R. P. M. *Fr. Thomæ à Conceptione.*

LEgi hæc poemata Reverendiſſimi P. Fr. Franciſci de Macedo, verè Apollinis Luſitani, Viri in omni litterarum genere, tum propter aſſiduum ſtudij laborem, tum propter nativam genij, ac ingenij affluentiam eruditiſſimi: Authoris nomen illuſtrat opus; opus, & Author Luſitaniam; nihil hic decantavit non magnum, non maximum; nihil à Fide Catholica diſſonum, bonis ve moribus contrarium; jure optimo poteſt Au-

thori

thori adaptari,quod ipſe de altero in uno iſtorum poematum cecinit:

——— *Hic primo in flore juventæ*
Caſtalias libavit opes, fæcundaq́; ſuxit
Germina Parnaſſi.

Cenſeo opus prælo digniſſimum ad publicam Poetices profeſſorum uſuram. Siſto calamum, nè Cenſoris munus excedam. Hoc meum judicium. In Conventu Olyſſiponenſi Dominæ noſtræ de Monte Carmelo. die 16. Januarij 1682.

Fr. Thomas à Conceptione.

VIſtas as informaçoens, podemſe imprimir eſtes Epigramas, & Verſos, de que ellas fazem menção, & depois tornaráõ para ſe conferir, & dar licença para que corrão, & ſem ella não correráõ. Lisboa 23. de Janeiro de 1682.

Manoel Pimentel de Souſa.
Frey Valerio de S. Raymundo.

POdemſe imprimir, & depois tornaráõ para ſe dar licença para correrem, & ſem ella naõ correráõ. Lisboa 12. de Fevereiro de 1682.

Serraõ.

Cenſura admodum R. P. M. Franciſci à Cruce.

REgiæ Serenitatis veſtræ juſſui obſecutus, quæ fere ſingula non ſemel diſperſa videram, in unum volumen coacta [utinam videre licuiſſet univerſa] vidi poemata à R. P. Fr. Franciſco Macedo, rectius dixerim

rim ab Apolline Luſitano, concinnata. In ijs, & ſi non ſatis miratus ſim, quod, præter Luſitaniam, dudum mirata eſt Hiſpania, Gallia, Anglia, Italia, ingenium ſcilicet alacre, promptum, fæcundum, ſublime, ad Muſas factum, ac prope divinum; duo præſertim admiratione maiora animaduerto: alterum ætate, moribus, religione virum graviſſimum, occupationibus diſtractum, ſeverioribus diſciplinis ita pene immerſum, ut evulgata ab eo volumina Theologica, Polemica, Hiſtorica, tũ ſacra, tum profana teſtimonio ſunt; tot, tamque præclara Poetices monumenta elaborare potuiſſe, perinde, quaſi nihil aliud, quàm Muſis operari, dum in vivis ageret, egiſſe videatur. Alterum, non in uno dumtaxat Muſarum choro, verum in quolibet [quod raró admodum, vel nulli ab hominum memoria forte contigit] cum primis eximium fuiſſe Macedum: ſive enim carmina perpendo, Maronem, & Papinium; ſive Elegos, Naſonem, & Tibullum; ſive Epigrammata, Martialẽ; ſive Alcaica metra, Venuſinum, & Alcæum modulãtem, adeoque Poetam numeris omnibus abſolutiſſimũ audire mihi videor. Vnde crediderim id unum tanto Viro deeſſe, ut ſin minus poetarum Coriphæus haberi, Coriphæos inter numerari mereatur, illis nimirum fuiſſe coævum. Liceat igitur per Serenitatem V. ex infinitis propemodum, quæ latent, hæc aurea Macedi poemata in vulgus prodire; cùm præcipue nec à recta Fide, nec à bonis moribus, nec à regijs ſanctionibus, vel parum diſſonent; imò Luſitaniæ Vatum uſque feraciſſimæ, celeberrimi Vatis, ac de Luſitanià tam bene merẽtis exiſtimationi mirè conſonent. Vlyſſipone in Collegio D. Antonij Societatis JESV, pridie Kalendas Martias, anni 1682.

Franciſcus à Cruce.

Que

QVe ſe poſsa imprimir, viſtas as licenças do Santo Officio, & Ordinario, & depois de impreſſo tornarà à Meſa, para ſe conferir, & taxar, & ſem iſso naõ correrá. Lisboa 5. de Março de 1681.

Roxas. Baſto. Rego. Lamprcya. Noronha.

VIſto eſtar conforme com ſeu Original, pôde correr eſte Livro. Lisboa 29. de Ianeyro de 1683.

Manoel Pimentel de Souſa. Manoel de Moura Manoel.
Ieronymo Soares. Fr. Valerio de S. Raymundo.
Ioaõ da Coſta Pimenta. O Biſpo Fr. Manoel Pereyra.
Bento de Beja de Noronha.

POde correr. Lisboa 30. de Ianeyro de 1683.

Serrão.

TAyxaõ eſte Livro em oito vintens. Lisboa 27. de Ianeyro de 1683.

Roxas. Baſto. Rego. Lamprea. Noronha.

ROMÆ
EPICA DESCRIPTIO.

SAlve ò Roma, caput mundi, lectiſſima ſedes
Pontificum, cardo Imperij, virtutis origo,
Relligionis apex, Vrbs amplior orbe, capaci
Tellurem complexa ſinu: cui dicere mundo
Iura parùm, ni ſũma tuis ſe montibus aſtra
Subjicerent, ſtarentq; tuo vaga ſidera nutu.
Te ſubitus Numen clamat timor; oſſibus horror
Relligioſus ineſt, titubant veſtigia; ſacrum
Non audent temerare ſolum: placet oſcula ferre
Plantarum ſubitura vices: altaria quære,
Atque alijs tibi templa locis; Roma integra templum eſt;
Omnis & ara locus: quidquid pes tangit, Olympus
Poſſidet: expirant cineres, & buſta vigorem
Sidereum: quicumque patet telluris hiatus,
Cæli porta patet: mallent hoc pulvere condi
Sidera, quam cœlo clareſcere; ſordida guttis
Sanguineis Phæbo radiarent puriùs aſtra.
Vivitur hic cœlo propiùs: miſcentur in una
Mortales, ſuperique domo: commercia fervent
Cælica: ſopitus quæ ſomnia vidit Iacob,

Hic vigiles oculis miracula cernimus. Ecce
Porta, Domuſque Dei ſaxo fundata fideli,
Et vivo, cui vita fides accepta Parentis
Munere, qui Petri radiavit lumine mentem,
Cerneret ut latitans mortali in corpore numen,
Faſſus ineſſe Deum; nullis quam viribus Orcus
Dejiciet; ſtabit lapſuro haud cardine, Chriſti
Nixa humeris: hic juſtus Atlas adamante vigebit
Fortiùs æterno: cœleſtia limina clavis
Quæ pandit, clauditque, eadem Romana recludit,
Et claudit; celſa qui præſidet arce, ſupremi
Munus obit, parteſque Dei: ſuſpendit Olympi
Aſtra ſupercilio; quidquid jubet ipſe potenti
Imperio, firmum cœlo: quæ vincula nectit,
Illa ligant Superi; ſolvit quæ vincla, reſolvunt.
Arbitrio mortalis eunt cœleſtia, motu
Aligerûm cœli torquentur; ad extima tantùm
Tenditur imperium; multò ſed longiùs ultra
Pontificis patet, Empyrei ſubit intima cæli
Concilia, & ſummi pariter ſedet arce Tonantis.
Hîc virtus, hîc priſca fides, hîc aurea morum
Temperies: nuſquam ſe ſe indulgentia cœli
Largius effundit; miſcent faſtigia turres
Urbanæ, cælique arces: auditur in aſtris
Qui loquitur. Lucet medio via lactea cœlo,
Urbe cruenta rubet: ſpecioſiùs illa renidet
Lumine, ſed fuſo pretioſiùs iſta refulget
Sanguine: laurus ibi, pugna hic: dat præmia cælum,
Roma parit meritum: germani fœderis ambæ
Participes coeunt, & amantia brachia nectunt.
Hîc nivei fuſo rubuerunt ſanguine flores,
Lactea progenies eboris commercia & oſtri,

Lilia

Lilia mixta roſis: hic ſe generoſa juventus
Martyrio devota phalanx exercuit armis
Sidereis, pulchramque petens per vulnera mortem,
Quem vita bene credat emi, præſumpſit honorem
Cælituum: clamat vox ſanguinis inſtar Abelis
Innocui: ſacro ſtant viſcera fæta cruore
Telluris, poſitæ reſonant clamoribus aræ,
Vindictamque petunt: quæ molibus oſſa ſepulchri
Clauſa jacent, vivunt, coramque animata Tonante
Teſtanturque fidem, pænaſque ex hoſte repoſcunt.
Magnorum hic latitant animorum pignora, cæli
Creditor eſt tumulus: nec nomina ſolvet Olympus,
Reſtituat donec tumulata in corpora mentes.
His manet obſidibus Romam pax aurea; nunquam
Inferet arma polus; crepet ignibus atra triſulcis
Tempeſtas, coeant incendia; rurſus in imbres
Eluvies inſana ruat, ſtragemque minetur
Diluvij, reliquus tremat orbis, & occupet ingens
Corda pavor, Romam nec vel levis umbra timoris
Afficiat, ſed tuta vacet ſecura pericli,
Immemor uſque metus: non fædera rumpet Olympus,
Non pacem, obſidibus parcet, nec fulmina prodens
Ille ſuos feriet, non fluctibus obruet: eſſet
Impius in ſacros, ſi fulmina mitteret artus.
Hoc Deus inſtituit, non Romulus acer, aſylum.
Hæc ſacer ille canit divino incenſus Apollo
Numine, ſacratæ referens præconia Romæ.
Cætera ferrato de limine Janus, apertis
Arma tenens foribus, duplicatæ munera vocis
Ingeminat, Romæ memorans monumenta profanæ.
En illa, en cæli auſpicijs Roma inclyta, ſolis
Curſibus imperium quæ finijt, aſpera bello,

Blanda toga, quæ marte ferox, quæ pace benigna
Floruit, Oceanus nullo cui limite clauſit
Imperia, aſtra ſuper, cælumque invecta triumphis;
Dedita Bellonæ furijs, ſtudijſque Minervæ;
Ingenio, gladioque potens, fæcunda virorum
Mater, & alma parens frugum, Saturnus in auro
Quam poſuit, ſuperæque dedit cunabula gentis.
Hæc Aquilas, & pila ſuper, faſceſque ſuperbos,
Et trabeas virtutis iter ſibi fecit: acervi
Telorum, cumuli galearum, & pondera ferri,
Fragmina portarum, congeſta cadavera, moles
Roſtrorum, montes undarum, & frondeus agger
Laurorum fecere gradus; per ſceptra, coronas,
Per ſolia in ſuperos connixa evaſit, & orbem
Inſtitit, humanæ ſuperans faſtigia ſortis.
Crevit in adverſis, ceu palma renixa proteruis
Ponderibus caput uſque levat: ceu tonſa bipenni
Pullulat è plagis in frondea germina quercus.
A ferro collegit opes, è ſanguine robur
Exijt, & palmæ puduit, quam nulla cruoris
Signa notent; laurum innocuæ virtutis inertem
Credidit; illa placet, quæ conſtet adorea magno,
Non pura, at rubro quæ ſanguine tincta refulget.
Illa triumphales dejecta per oppida greſſus
Intulit, & proprios alienis caſibus auctus
Fecit, & in cælum communibus ire ruinis
Viſa: quot in cineres ceciderunt tecta? quot urbes?
Unica quòd ſtaret Romana Urbs? orbe ſepulto
Deſuper illa venit, tantique cadaveris oſſa
Fundamenta ſibi ſubſtravit, & intulit aſtris
Auguſtum caput, & ſoli ſtetit æmula cælo:
Una orbis tamen inſtar habens, non abſtulit orbem,

Rettulit

Rettulit; ac veluti phænicis pulvere phænix
Naſcitur extincti, jacturamque unus adimplet
Alterius, ſic Roma orbis diſpendia ſupplet,
Urbis opus, mundique inſtar. Sed pondere victa eſt
Ipſa ſuo, traxitque ſua de mole ruinam.
Nec ſibi Roma ſatis, viſa eſt ſibi viribus impar.
Vicerat illa orbem, ſuperavit ſe quoque, vinci
Malluit a ſe ſe, nequid ſupereſſet ab armis
Invictum, intactumve ſuis: ſed quanta, ruendo,
Roma foret, patuit; dum corruit, impulit orbem,
Præcipitemque dedit; quo Roma incluſa ſepulchro,
Orbis & ipſe jacet; ſed non tamen illa ruinis
Obruitur; quis enim locus Urbem æquare ſepultam
Poſſet? adhuc pars magna vacat, moliſque ſepulchri
Oſſa fidem faciunt; ruptæ telluris hiatus
Per cryptas, labeſque ſonant non poſſe cadaver
Viſceribus retinere ſuis, tantique negatur
Corporis urna capax; cælo ni Roma tegatur,
Nuſquam erit in terris tumulus, maiorque ruinis,
Quam fuit Imperijs Urbs eminet, eruta monſtrant
Oſſa, forent quanti Romani corporis artus.
Nec cinis eſt ubi Roma fuit; ſtat fœta ruinis
Roma ſuis, buſtumque calet, vigor igneus errat
Per cineres, halant extincta cadavera famam;
Hæc animi vice corpus habet, vivuntque decori:
Artubus extinctis ſtat robur, & oſſa vigoris
Arida, ſtant ſucco virtutis; inhæret in alto
Pulvere nobilitas, conſumpta eſt omnis imago,
Nec color, aut fumus ſupereſt: manet illa, nec ullo
Victa ſitu periijt; Muti monumenta magiſtri
Priſca docent lapides; quicumque effoſſa cavernis
Oſſa legat, ſubito ſe ſentiat igne cremari,

Et face virtutis ſtimulari ardentiùs: imos
Replet fama ſinus, gelidus pavor exulat; arma
Oſſibus aſpicias hærere, innataque ferro
Oſſa putes: dubius ferrum ne in membra rigeſcat,
An membra in ferrum! ſtat mollius oſſe metallum!
Romanum quicumque tegi caput ære putaſti,
Crania ſi tractes galeis exuta videbis
Dura magis; calvis galeas afferre decorem
Affirmes potuiſſe, neges tutamen, acumen
Enſis hebes credas, digitorum ſi oſſa retractes:
Brachia ſi, pilum jam triſte, & inutile pondus
Eſſe putes: proprio Romana è robore membra
Invicta ſteterunt acie: nativus inhæſit
Oſſibus ille vigor, reliquæ quem adducere gentes
Ære parant: alijs externo parta metallo
Gloria, Romanis innexa, & debita membris
Contra aciem ferri. Quod fabula finxit Achilli,
Ut fieret ſtygijs ferro inviolabilis undis,
Romulidis fortuna dedit felicius; illi
Planta pedis jaculo patuit, ſpeciemque fugacis
Acta pedi plaga impoſuit; Romanus Achillem
Eſſe neget, quem planta pedis percuſſa fugacem
Arguat: ante omnes exponeret ictibus artus
Quàm verſa hoſtili pateant veſtigia ferro.
Mars pater his, Bellona ſoror: Venus aurea longè
Mater abeſt, virtus Venerem Romana novercam
Arguit. Hic ſparſo melius de ſanguine Cadmo
Armatæ ſteterint acies: Telluris aratro
Viſcera proſcinde, extabunt armata virorum
Agmina, quæ ferri cieat ſonus. Umbra Quirini
Ecce ruit, Tullique ferox: ardentia Bruti
Vindicis ora vides, ſtillantem ſanguine cultrum

Extrahit

Extrahit uberibus, guttiſque irrorat Olympum;
Vibrat & iratam gnatorum in colla bipennem.
Spirat ab igne recens incendia Mutius; inſtar
Turbinis in labem ſe Curtius abjicit; enſe
Fulminat impatiens Etruſca per agmina Cocles,
Et ſaltu in Tyberim præceps datur; inſtat aratro
Quinctius, inde hoſtes gladio metit: ecce Camilli
Impetus in Gallos ſe ſuſcitat igneus; auro
Addiderant enſem, gladium ſuperaddidit enſi,
Vulneraque impoſuit, pollutaque tecta piavit
Sanguine. Tarpeio de culmine Manlius ardet
Nocte diem referens: gravat impia pondere Curſor
Colla jugi, redditque vicem Samnitibus; atro
Stant Decij pallore; ruunt in tela, triumpho,
Quàm feretro propiùs; Fabiorum examina fervent
Bellandi ſtudijs: tamen otia Maximus ambit
Cunctator, multum reliquos præit ille morando.
Fulgurat hinc Marius, Scylla inde, utrinque refulgent
Scipiadæ. Patiens ſtat Regulus, arcta catenis
Colla gerens; claviſque ſuper laniatur acutis.
Præſtringunt oculos Catulorum lumina: Pauli
Ingentes tollunt animos. Armatur in aurum
Fabricius, ridetque minas Elephantis; in hoſtes
Fulmineo Marcellus equo ruit incitus; inſtat
Druſus, & Aſdrubalis cæſi caput objicit ante
Ora Ducis, Pænûmque oculos; Torquatus acuto
Enſe minax hoſtem, natumque occidit eodem
Vulnere: Pompeius devicto ex hoſte triumphos
Tergeminos infert patriæ; nec ſufficit orbis
Viribus, una ſatis ſpolijs eſt Roma: coruſcat
Cæſar adhuc, Martemque refert, cinerique ſepulto
Fulmen ineſt: placidi ſe molliùs exerit aſtrum

 Auguſti,

Auguſti; manet ira tamen, ſervatque minaces
Umbra notas; dant arma ſonum, ſtridentque cavernis,
Æra ſonant, clypei clypeis, atque enſibus enſes
Colliſi ingeminant tumulata per oſſa fragorem.
Parte alia, quà Roma togæ ſtudioſa refulget,
Et prætextatas trabeas, ſellaſque curules,
Palladiaſque oſtentat opes, ſeges altera ſurgit
Candidiore nota: folijs pallentis olivæ
Tempora Numa ligat, ferrataque limina torquet,
Bella vetans; Naſicca pio ſe jactat honore,
Lectus Atlas Cybeles: cæleſtia facta Metellum
Condecorant, graviorque decet cenſura Catonem.
Pignus amicitiæ, Sophiæ decus, Urbis amores,
Lælius effundit radios, Solemque laceſſit
Lumine, Scipiadæ lateri comes additus. Unde
Ennius ora pater numeroſa in verba reſolvit?
Unde Venus Plautina ſonat, gremioque lepores
Colligit? auditur teretis facunda Terenti
Copia: Carbonis vis flammea ſuſcitat ignes
Ingenij: Gracchos videas duo fulmina ferri
Eloquio: Craſſo liquidi fluit impetus amnis
Gutture: voce tonans Antonius obvia frangit
Tela, necemque fugat: roſeos Hortenſius hortos
Incolit, & zephyris animat vocalibus. Ardet
Sulpitius, Cottamque ſuus non deſerit ardor.
Lacteus in rivos ſe Livius ore nivales
Porrigit, & puro Charites vehit aureus amne.
At caſtigato brevior fluit agmine Criſpus,
Radit & interior ſtringentis marginis oras.
Servat adhuc Tyberis teneri numeroſa Properti
Murmura: ſervat ebur. Nymphæ Laurentides altis
Gurgitibus Naſonis alunt incendia. Flacci

Stat

Stat lyra florentes inter victura corymbos.
Sæpe ferunt Tyberina ſono dormire fluenta;
Cum paſtoritia ſe fiſtula voce Maronis
Inflat, agens ſylvas; ſæpe otia dulcia ſomni
Rumpere, cùm Martem tuba concrepat; acta minaci
Inque caput retro convertere flumina cantu.
Fallor? an in medio ſupereſt Ciceronis imago
Viva foro? vox illa ſonat, cui laurea ceſſit
Bellica, quæ tonitrus imitata, quot ore profudit
Verba, tot in mentes jaculavit fulmina: leges
Quas ſtatuit, quæ jura dedit, quæ bella ſonante
Conticuere? armis quæ fræna injecit, & enſes
Hoſtibus eripuit? patriæ quæ nata ſaluti,
Exitioque ſibi, cùm, proh dolor! enſe reciſum
Inter utramque manum roſtris caput hæſit, & Urbi
Attonitæ muto ſpectacula præbuit ore,
Voce tacente loquax! Nunquam vehementiùs Urbem
Movit: ineſt tacitæ melior facundia linguæ.
Hos tulit Heroâs, ſtaret dum Roma: cadentem
In cineres lapſi patriam comitantur alumni.
Urbs pariter, civeſque jacent; ſed magna ruentis
Gloria, quòd tantæ cunabula præbuit Urbi;
Quæ tamen haud poterit tumulatæ æquare ſepulchrum.

SANTIS.

SANCTISSIMO
PATRI
DOMINO NOSTRO
VRBANO VIII
PONTIFICI MAXIMO

ΙΛΑΡΙΟΝ

APES
BARBERINÆ.

EMINEN:

EMINENTISSIMO
D. D. CARDINALI
FRANCISCO
BARBERINO
S. R. E. VICECANCELLARIO

Epigramma Dedicatorium.

BArberine favos, & fingere mella peritus,
Quæ pia Divini ſemina roris habent.
Te tua quærit Apis, floreſq; in flore requirit;
Nanq; refers flores unus, & unus Apem.
Si volat; ingenij celeres potes addere pennas;
Si canit; æthereus gutture bombus ineſt.
Si nitet; infuſo virtus tua Sole refulget,
Si mollit; facili pectore cera liquet.
Tecum Vrbana ſuos Apis eſt partita labores:
Eſt mens ille Orbis; tu manus Orbis ades.
Ille vacat Superis; tu magna negotia verſas.
Ille legit rores, condis at ipſe favos.

APES

APES BARBERINÆ.

FIndere qui purum facto velut agmine Cælum,
Altaq; deductis tranſcendere ſidera pennis
Cernat Apes: non ille Aquilas, nō ille ſequatur
Vulturios; ſinat ire viam, quâ fulmina terrent
Dira Iovis, quâ corda patent laniata Gigãtum.
Ne dubita, licet alma ſuis innectere Lauris
Urbs Aquilis plumas dederit; licet Urbis origo
Romulus, optatum de vulture ceperit omen,
Maior honos Apibus: quas Romulus extulit alter
Sanguinis expertes, puraſq; à cædibus, uni
Ambroſiæ, Paciq; ſacras, & rore madentes
Nectareo, quibus URBANVS *circumdedit Vrbem,*
Immiſcens lauriſq; favos, & mella triumphis.
Hæc Barberino deductæ examine, Prata
Inſedére, quibus Florentia ridet, amæno
Fæta ſolo, Floræq; ſoror, germana Capellæ,
Cujus Amalthæum ditavit Copia cornu.
Hîc apices inter, turritaq; tecta domorum
Flagrantes ſtruxere favos, & Dædala mellis
Ingenia: hinc ſeſe Laurentibus intulit agris.

Ominis

Ominis antiqui facies, lauriq; pependit
Frondibus examen, ſummâq; reſedit in Arce.
Florida tum primùm Romana per arva voluptas
Nectaris eduxit fætus, Hyblæaq; fudit
Germina, cum ſeſe per florida viſcera Romæ
Inſinuavit Apis, diſtendit & ubere cellas
Nectareo: Superis melior vis roris ab aſtris
Exiit, inq; favos ſtillarunt ſidera nectar.
Non has fatidico fæcundus numine Paſtor
Fudit Apes' Deus ipſe ſinu diffudit amico,
Et genio meliore dedit: non Pindarus ore
Has vomuit; doctusve Plato; felicius ollis
Ingenium, longèq; volant ſublimiùs: Aras
Inſiſtunt, aliſq; tegunt, ſacroſq; Penates
Melle linunt, circumq; ſonant Altaria bombo.
Præcipuè qui' Ductor Apum, quo Principe gaudet
Tota Cohors; quem prata colunt, cui gramina plaudunt
VRBANVS: ſumma qui celſus in Arce Tonantis
Implet, agitq; vices, facili ſuper Aſtra volatu
Eminet, & ſolo ſtellantia lumina bombo
Fertq; refertq; potens. Hic primo in flore juventæ
Caſtalias libavit opes, fæcundaq; ſuxit
Germina Parnaſſi; ſacroq; in vertice Pindi
Aonias tereti pellexit carmine Muſas.
Hic Tyberis ſuſpendit aquas: jecitq; fluenti
Fræna ſonora vado: dubius ſtetit amnis, & aure
Credidit argutâ plectrum ſonuiſſe Maronis,
Aut Naſonis ebur, vel fila crepantia Flacci.
Non ita Mæandri ſinuoſo gurgite Cygnus
Fata canit; licet ille animam modulamine penſet.
Dulcius hic modulatur Apis: nec gutture mortem
Ebibit; ipſa ſibi per carmina prorogat annos,

Cœleſtique ſonans reficit vitalia cantu.
Teſtis erit liber ille, manu quem Roma volutat
Aſſiduâ, quo Phœbus opes, quo Muſa recondit
Theſauros, fluit unde vigor, fluit aureus unde
Inq; artus, inq; oſſa liquor, quem cedrina claudunt
Limina, & impreſſo confirmant Aſtra ſigillo.
Carmina quot videas, numeres tot ſidera; Cœlum
Hic nitet: Aligeri motu meliore cierent
Sidera, ſi tali poſſint includere verſu.
Quid memorem dulci ſtillantia nectare labra,
Ambroſiamq; oris? mellitaq; fruſta roſarum
Mixta comis? teneris viſa eſt habitare labellis
Gratia. Purpureo Venus Aurea riſit in ore,
Explicuit quoties in verba ſonantia linguam.
Eloquij nunc flumen erat, nunc fulmen, & ignes
Vocibus excire, & reſtinguere vocibus ignes
Noverat. Herculeæ non pectora dura catenæ
In nexus traxére ſuos. Quid Iura? quid alti
Numinis arcana, & Divini ſemina Verbi
Commemorem? quibus inſtar Apis ſtudioſus inhæſit
Includens pia mella favis. Hic Hybla colore
Sidereo diſtincta viret, morumque venuſtas
Aurea, Sacrorum ritus, Altaris honores
Relligione vigent: Iuſtis hic Præmia, Pœnæ
Sontibus, afflictis ſolatia, gaudia mæſtis
Propoſita. Hîc geminas librato examine lances
Suſtinet, arridens conſpectu Aſtræa benigno:
Blanditur Latio, Romanaq; tecta reviſit:
Quam circum glomerantur Apes, bomboq; ſalutant,
Invitantq; favis, & dulcia mella propinant,
Vrbanumq; ſonant. Vrbs ipſa urbanior omnes
Excitat in plauſum populos; mirantur ut orbem

Vmbret Apis, pinniſq; tegat: Troianaq; ridet
Furta, Iovis quæ portat avis, contenta Puelli
Pondere. Vix vnum Ganymedem ſuſtinet alis,
Et ſudat, niſuq; Polum metitur anhelo.
Aſt Vrbana, Iovis conſtantior alite, multos
Portat Apis ſuper aſtra viros: tenditq; volatu
Vltrà anni, Soliſque vias: Superiſque minatur
Arcibus, & Cæli faſtigia ſumma coronat.
O felix Apibus ſoboles; ò mellea Gentis
Progenies! O nectareo Gens edita partu,
Nata Deo! queis ſe Superum chorus Aliger ambit
Iungere, ſidereas volitans examen in auras;
Deliciæ Superum, Gens Barberina, Latinos
Spei reple melioris Avos: atque aurea redde
Tempora, quæ quondam Saturnius intulit aruis
Regnator. Tibi cedit Avis, quæ præpete penna
Raſit iter, quæ fauſta canens tulit oſcinis omen
Carmine, quæ terram feriens in grana volavit
Impigra: te dono Superum demiſſus ab alto
Corvini auxilium veneratur Corvus: amico
Gutture, de criſta galeæ ſplendente ſalutat.
Ipſe vigil, Cuſtoſq; Arcis, ſervator & Vrbis,
Vocibus impellens acies victricibus Anſer,
Te quoque Tarpeij de culmine montis adorat.

Canebat Luſitanus Anonymus.

SANC-

SANCTISSIMO
PATRI
DOMINO NOSTRO
VRBANO VIII
PONTIFICI MAXIMO
LYRA
BARBERINA
SYLVA.

B EMINEN-

EMINENTISSIMO D. D. CARDINALI FRANCISCO BARBERINO S. R. E. VICECANCELLARIO.

QVÆ argumentum ſylvæ, Lyra Barberina, Sanctitatis Vrbani Patris D. N. Lyra eſt, Eminentiſſime Cardinalis. Ea non aut Mercurij inventum, aut Apollinis Amores, aut Muſarum illecebræ, aut Aſtrorum lenocinium. Nedum vel Terpandri, vel Eunomi, vel Achillis, vel Epaminondæ ;ut omittam Orphei, Amphionis, Arionis ; ſingentium ſomnia, aurium fucos, ſenſuum impoſturas. Profanum hoc lyrarum vulgus odi, & arceo. Divinior illa eſt, tum origine, tum ſono. Origine ducta a Divino verbi Dei concentu, quo Pater univerſitatem hanc rerũ mutis numeris vinxit; & verſum reddidit. Quam cũ in principio condidit, in verbo condidit numeroſè dicente, quæ Pater numeratò repræſentavit. Sancto Spiritu inhalante, & ſonum vocum ciente. Atque adèo rerum ordo ſuis partim vinculis nexus, partim intervallis diſtinctus,

nctus, mutua vice conſenſionis, & varietatis concentũ ueundã, & harmoniã effecit; vnde juſtus hic, & numeroſus Orbis exiſtit, quẽ verſũ, & carmen Patres dixerunt. Hinc in cœleſti Hierarchia, novẽ; Muſarum fortè ontes; Chori. Hinc in Sulamite Eccleſiæ typo cũ Choris caſtra conjuncta. Ad Intelligentiarũ pulſus Orbes Cœleſtes inciti tenorem carminis ſervant, & concẽtum dunt. Verbum ipſum Divinũ, quod egerat in Patris ſinu, præſtitit in alvo Matris. Cum ejus ore canens Infanem Baptiſtam intrà materni vẽtris anguſtias ire in ſalus compulit, libertate motus carceris anguſtijs caſtigaa: vt Poetica licentia vincta numeris in eo flexu corporis appareret. Quid? Ipſum, in quo ſe Sacramẽtum, ſuos ſacerdotes, ac Patres inſtituit, convium, hymnus, tanti myſterij ſigillũ, confirmavit. Imò & intentis in Cruce nervis Pſalmum Davidicum canens, Lyram ſeſe, & cõcentus magiſtrum exhibuit. Vt qua mũdum harmonia condiderat, ea inſtauraret. Iam verò Spiritus ille Sãctus Archiphonaſcos Prophetarũ, eorũ corda domuit, oráq; n verſũ preſſit, vt Enthuſiaſmo Vates æſtrum paterenur, & in carmina erũperẽt. Hoc Moſes, hoc Maria, hoc Debbora, hoc Anna; hoc Iudith, hoc Ezechias, hoc Zacarias, hoc Maria, hoc Simeõ incitati cecinerunt. Illo Iob, Iſaias, Hieremias, Abacuch ſpirante flatum, Poetæ prodierũt. Salomonis Sapiẽtia orbe Cantici coronatur. David non cantor modò, & modulator, ſed totus harmonia, & vox fuit. Idem Numen Eccleſiá afficit, agitq; n cãtus; præcentrix illa Triumphãtis eſt, & cũ Chriſto Leone militans, Agno Chriſto præludit. Totá vocalis, & muſica, per omnia ſacri corporis oſſa, parteſq; in verſus erumpit. Numerare illa longum ac tritum. Vnũ ſupereſt; decere harmonicum corpus muſicum ca-

 pu:

put. De quo illud ad Eccleſiam: *Caput tuum ut Carmelus*; mons in quo ſedes, & Chorus Prophetarum. *Coma capitis tui ſicut Purpura Regis uncta*, ſeu ut alij legunt, *vincta canalibus*. Ideſt Purpura Cardinalitia uncta Spiritu Sancto in Pontificiam Tyaram: eademq; vincta Canalibus Fontis Poetici. Habet Eminentia Veſtra cauſas inſcriptionis. Quid de concentu lyræ ſentiam, in ſylva aperiam. Legat Eminentia Veſtra, & Annuat, dum tubam inflo, & Panegyrim adorno, novus Vrbis Hoſpes, vetus & Amator, & Admirator.

LYRA

LYRA BARBERINA SYLVA.

REſixa cælo ſidera Tybridis,
Quis miſcet undis? aſtra quid alveo
Eunt fluenti? cui micantes
Luna vado lavat uda crines?
Polus ſoporo gurgite volvitur
Stellante fluxu: quos vaga mobili
Hortos rigarat unda limphâ,
Hos & aquæ ſubeunt, & aſtra.
Non hæc ſonoro carmine Theſſalis
Patravit audax: non maga cantibus
Circe revinxit, nec rotundus
In fluvium tulit aſtra rhombus.
Sed Barberinæ vis melior Lyræ
Intenta chordis vincula miſcuit,
Pulſuſque vocales; & orbes
Æthereos pepulit ſonore.
Obſedit alto garrula murmure

Urbana ſiren ſidereum mare;
Stellaſque cepit navigantes,
Eque ſuo revocavit axe.
Hac arte venæ Tybridis invehit,
Hac arte ripæ floribus inſerit
Stellas volentes, nec repugnant
Romuleo rutilare prato.
Malunt cieri ſidera pulſibus
Lyræ ſonantis, quàm ſolitos ſequi
Cæli meatus, & ſupremum
Alitis imperium moventis.
Aguntur orbes arbitrio Lyræ,
Vocalis aſtris additur impetus;
Sonatque verus, nunc voluto
Axe modus; ſonat axe cantus.
O, Barberinæ qui fidicen Lyræ,
Vrbane, ficto dulcior Orpheo,
Qui ſumma flectis aſtra verſu,
Et ſuperos moderaris orbes!
Dic, unde ſpirat Carminis hic vigor,
Hæc vita vocis, gratia gutturis:
Non hoc Apollo, non Camœnæ
Pierium peperere munus.
Licet ſonantes impulerint Lyras,
Quà per tumentis culmina gurgitis
Delphinas inſiſtens Arion,
Cæruleos cecinit triumphos.
Et quæ revinxit fœdere mobili
In alta Cadmi mœnia marmora;
Quæ duxit Amphion canoro
In Choreas animata plectro.
Et quæ fluentes curſibus alveos

Egit retortis, monſtraque terruit,
Stirpeſque, montanaſque (nato
Calliopes modulante) cautes.
Et quam coruſcis Lesbius addidit
Terpander aſtris: gutture quam juvat
Cicada rauco, diſcrepantis
Subſidium citharæ canorum.
At Barberini barbiton altius
Intendit æſtrum, ſpiritus incubat
Fides crepantes, qui ſonora
Voce ciet genus omne linguæ.
Telluris arctos ardua limites
Tranſcendit ultra, ſidera permeat,
Soliſq; curſus, & plagarum
Exuperat generoſa metas.
Summis Olympi cœtibus additur,
Auditur inter Cælicolum Choros:
Hanc Numen impellit ſupremum,
Et facili bibit aure cantus.
O te beatum Tybris! in algido
Quem dormienem gramine vidimus
Ad dulce murmur, dulce plectrum,
Dulce melos citharæ ſonantis.
Jam tu doloris deſine: priſtinos
Omitte queſtus; quòd veterum Lyræ,
Quòd plectra, quòd verſus, quòd artes,
Quòd teretes ſiluere chordæ.
Nunc nunc revixit Spiritus integer
Vatum priorum: quas tulit aureum
Seclum Latinis, Barberinæ
Divitias peperére muſæ.
Vicere ferrum tempori æerei,

 Vicere

Vicere fatum criminis invidi,
Unus ſepultos excitavit
Ore vomens animos Poeta.
An non Maronis ſpirat imaginem,
Cum grande Moſis carmen in arduos
Vertit cothurnos, & tubarum
Grandiloquo ciet ore cantus?
En molliorem Parthenopes ſatum
Sylvas canentem reddit: ad otium
Cum ruris invitat beati,
Priſca legens monumenta Romæ.
Vitæ caducum qui fragilis decus
Legat revinctum carmine floreo,
Naſonis audit, vel Tibulli,
Vel teneri numeros Properti.
Arguta ſervans carmina Bilbilis
Iam Martialis ſpernit acumina,
Seu fonte ludat, ſeu dracone:
Seu rabidos premat ille dentes.
Seu ſculpta Rheni ſigna, vel illitas
Fuco coloris laudet imagines,
Thecaſq; doctas Aldobrandi,
Farneſij Ducis & Triumphos:
Quos hoſte duxit victor ab impio,
Belga, comanti cinctus adorea;
Seu colla Reginæ reciſa,
Quæ rigido metit Anglus enſe.
Seu cum Peruſi circulus annuli
Orbe implicetur carminis inclyto;
Seu dulcis affectus favillas,
Queis Superum ciet aſtra Grillus,
Verſu colorat: ſeu Pueri ſacras

Cunas

Cunas volutat numeris, & notat
Mores avari, ſeu crepantes
Aurelij celebrat ſonoros.
Quidquid Catullus mollis honoribus
Dulcis Camænæ; quidquid Horatius
Plectro laboravit polito,
Nectareos referens ſapores,
Invexit Vrbi. Quantus ineſt nitor!
Qualis venuſtas verſibus! evehit
Queis Ludovicum Galliarum
Præſidium, Columenq; Regni.
Innoxa pennis verſicoloribus
It Magdalene divite verſuum
Deſcripta vena, conſecuta
Divitias pretioſiores.
Nec ſic reluxit toſtus in ignibus
Laurens theatri gloria nobilis,
Vt ſplendet inter fulgurantes,
Quas cumulat pia Muſa, flammas.
Non ore Cygni ſuavius edidit
Senex ſupremi carminis halitum;
Chorus nec ardentis camini;
Nec geminæ fidei columnæ.
Auditur almæ vox pia Virginis,
Tollentis altum Numen in æthera:
Et queſtus auditur dolentis,
Parte ſui meliore raptâ.
Vox illa celſi prævia Numinis
Baptiſta, verſu grandiùs intonat;
Truncatumq; guttur ſonora
Per citharæ movet ora chordas.
Gravi ſepultus pondere criminis

Peccator

Peccator altis vocibus ingemit:
Virtuſque blanditur canoro
Ore, pijs bene culta plectris.
Hîc dulce cæcis illecebras malum,
Fucoſq; linguæ mellis imagine
Tegentis infuſum venenum,
Et vitrei ſpeciem decoris,
Abblàndientem ſenſibus intimis,
Mox ſtrangulantem corda doloribus:
Paciſq; partæ laureatum
Allobrogum decus ille cantat.
Phæbi canentis munia ſuſcipit,
Necnon medentis. Carmine dum pio
Clementis emollit podagram,
Fitq; fides medicina nervis.
O par Beatum, lucida ſidera,
Fratres, ſonora quos trahit alite
In plectra; queis verſu ſacravit
Empyreo monumenta Cælo!
At te Quiritum gloria Virgini,
Et te, Latinæ cura Ciampole
Vrbis, manebit ſempiternum,
Voce Lyram ſociante, nomen.
O Strozza felix! O Gabriel quoq;
Felix canori munere carminis!
O te Belarminus beatum!
Cui gradibus dedit ire Plectri
In aſtra rurſum. Nec minus inclyto
Verſu feretur Flaminius ſuper
Axes Polorum, quem canorus
Inſtar agit Ganymedis ales.
Nec jam Latinæ ſufficiunt pio

Vati Camænæ: lumina Græciæ
Deduxit in chordas, decorem
Dum roſei modulatur orbis:
Et purpurantes dum calicis ſinus,
Et circinatos explicat ambitus
Florentis aſtri, quod cruento
Puncta Venus maculavit oſtro.
Græci ſaporis nectare condijt
Errantis alto Dulichij Ducis
Mores, & artes: Aldobrandi
Effigiem, ſpeculumq; vitæ.
Non delicato pectine Teijus
Senex remulſit pectora mollius:
Non ille, quem vix dum canentem
Erudijt Philomela voce.
Non ille fluxo ſyrmate Pindarus
Ornans cothurnos, grandius intonat:
Non dulcius cantat, ſororum
Miſta Choris, nova Muſa Lesbi.
O Barberini gloria ſtemmatis,
Urbis voluptas, Romulidum decus,
Sirena Piorum, Pompa Phœbi,
Deliciæ Lyra doctiorum.
Conſcende Cælum: Numinis aſſide
Verbo potenti, quo regit æthera,
Terraſq; Tu Verbum ſonanti,
Dum loquitur, comitare plectro.

ALEXANDRI VII PONT. MAX.

INAVGVRATIO AD VIRGILIANAM MAJESTATEM.

LÆta dies aperit Romam, tenebraſq; reſolvit
Triſtitiæ, mors Innocui queis clauſerat Urbem
Pontificis: nova lux oritur, mediâq; columba
Luce nitens Petri templum circumvolat, & ſe
Explicat in radios, ſecumque adducit Olympum.
Illa, velut dubio quò ſit ventura volatu,
Volvitur in gyros, nec adhuc ſecura quieſcit.
Scilicet hic ille eſt, divini Flaminis Ales,
Ales & ipſe Deus, qui, cùm novus Vrbe creatur
Paſtor, oves Chriſtus cui tradidit, actus Olympo
Purpureos Patres cæleſti lumine complet,
Iuſtaque ſollicitas trahit in ſuffragia mentes.
Hic poſt aſſiduos vicina ad culmina Petro,
Sunt vbi conventus, vbi Curia Sacra, volatus,
Conſtitit, & Chiſi dilecto in vertice ſedit.
Omnibus una fuit mens, omnibus una voluntas

Purpu-

Purpureis Patribus, cunctiſque infudit amorem
Ille Ales divinus, Amor Natique, Patriſque
Intimus. Haud unquàm viſa eſt concordia maior;
Quæ teſtata novi meritum Paſtoris honorem,
Et quem quiſque ſibi metuit ſperare, libenter
Detulit hunc Chiſio: dignum quem munere tanto
Reddidit ante annos matura, & cognita virtus.
Ergo omnis feſto miſcetur Roma tumultu,
Æra canora ſonant, tormenta ex Arce ſequuntur;
Conclamat populus, reſonant fora, compita plauſu;
Quiſque ſibi tanto ſperat Paſtore ſalutem.
Illum ardent, votiſque vocant, oculiſque requirunt;
Excitat & nomen ſtudium; namque ille vocari
Iuſſit Alexander. Lætus quiſque accipit omen,
Et fore promittit, qui robore comprimat hoſtes,
Subveniat miſeris pietate, & ditet egenos.
Nec metus officia ut vitijs corrumpat, & aurum
Virtutis maculet culpis: hoc nomine Magno
Maior Alexandro: ſordes procul, & procul arcet
Delicias; animum non ulla exaſperat ira,
Non ullus tumor extollit; non dira cupido
Exagitat: mitis placuit clementia cordi:
Imperijque modus, cultæque modeſtia mentis;
Virgineus candor, puræque innoxia vitæ
Semita. Religio prima olli cura fideſque
Moribus expreſſa, & ſpirans cæleſtia factis.
Excoluit ſtudijs animum doctoque ſubactum
Pulvere, ad officium, rerumque exercuit uſum.
Seria nec tantum placuere; & amæna ſecutus;
Rhetorices campos, & florea prata Poeſis
Incoluit, Muſaſque ſuo dignatus honore eſt.
Iam tum illum ingenio præſtantem, & mentis acutæ

Excel-

Excellentem acie reliqui coluere minores,
Et fore ſupremæ ſtatuendum culmine Sedis
Senſere unanimes, juſtos ſi attingeret annos:
Sidera ſumma frui augurio, votóque dederunt.
Nec fortunâ fuit, meruit ſua præmia virtus,
Ætatemque ultra venit maturus honori.
Iamque adeo ingreditur vicino è limine Templum
Petri auguſtum, ingens, Patrum comitante Senatu
Purpureo, ſellaque ſedens ſupereminet omnes,
Numinis os, habitumque gerens: ſtat grata ſereno
Maieſtas vultu, facieſque modeſta pudorem
Teſtatur dejecta oculos: nec ſpernit honorem,
Nec jactat. Lunata caput tegit infula, corpus
Aurea cirumdat Phrygio ſubtegmine veſtis
Tota rigens, látèque ſinus demiſſa fluentes.
Vtque in conſpectum populi, qui plurimus amplum
Complebat Templum, præſenti numine venit,
Exoritur varius concordi fœdere clamor
Gratantum Chiſio, & plauſu ſua vota ſequentum.
Ille ubi per medios invectus contigit aram,
Maxima quæ ſummo conſiſtit fornice Templi,
Quam ſuper incumbit fulgenti machina cælo
Ænea, ubi pandit pennas aurata columba
Diſtinctas radijs, ſtetit; ac de more vetuſto
Conſidit, tacuère omnes: reverentia plauſum
Abſtulit. Occurrit Petrus, Petrique Magiſter
Mentibus: in Chiſio maior perculſit imago
Lumina, & inſidens Chriſtum induit: ocyus omnes
Purpurei Patres veniunt, & ad oſcula currunt
Intemerata pedum: quo dignius ora locentur,
Crux prætexta pedi eſt: hanc oſcula dantibus offert,
Hanc pia labra premunt: ſuccedunt ordine Patres

Quiſque

Quiſque ſuo; primùm pedibus, mox oſcula dextræ,
Quam veſtis tegit, infigunt: dehinc altiùs ora
Attollunt, libantque humeros. Pater excipit omnes,
Et levat amplectens, velut averſatus honorem,
Quem Fratres peperere ſibi: Fratrumque repente
Se videt attonitus ſummum evaſiſſe Parentem:
Et tandem aſſurgens elatâ ad ſidera dextrâ,
Inque latus ducta Crucis inſtar, & inde reducta,
Largitur populo veniam culpaſque remittit.
Tum redit in tectum, & Templum pia turba relinquit.
Macte animo (Chiſi) tua te ſuper æthera virtus
Promeritum vexit: toto dominaberis Orbe
Alter Alexander: nec erit tibi limes Eous
Oceanus, regio-ve Aſiæ. Tu jura Sacerdos
Sacra dabis Princeps. Regum diſcordia tolles
Arma ferens pacem; verteſque in barbara ferrum
Agmina, & Aſtræam deſerta in tecta reduces,
Extendeſque fidem, Romanaque ſigna locabis,
Vnde ſuperſtitio veteres dejecerit aras:
Hæreticamque premes rabiem, tangeſque coruſco
Fulmine, Romana quod dextera torqueat arce.
Macte iterum: Leges, duce te moreſque vigebunt
Innocui, candorque animi, puruſque reſurget
Virginitatis amor: Pietas & ſancta valebit
Relligio; incipient commercia libera cœli.
Largior è ſuperis fluet indulgentia: Templis
Vrbs vicina Deo, propior virtutibus, aſtra
Præcipiet meritis, & præmia digna repoſcet.

EIVS-

EIVSDEM PONTIFICIS CORONATIO AD STATIANAM ELEGANTIAM.

Quas ego conſpicio per nubila rupta cohortes
Aligerum properare viam? ſtellaſque ſequentes
Inclinare polum (tanta eſt ea turba) juventus
Quò Romana ruit ſtimulis agitata videndi,
Quæ vetus exhibuit nunquam ſpectacula Roma?
Nec dubito, quin aſtra Vrbi ſe jungere certent,
Cum liget una fides, amor utraque copulet unus,
Spiritus unus agat. Sed quid movet ardor eundi
Ille novus, ſtudiumque ingens? Da pandere cauſas
Tu mihi, Romanam qui protegis Aliger Vrbem;
Muſarum nam turba minor: licet Enthea totum
Parnaſſum moveat, fontiſque exhauriat undas
Caſtalij. Nitet alma dies, qua ſummus Olympi
Inſigni voluit noſtrum decorare Tiara
Rector Alexandrum, capitique imponere mitram
Tergeminam, Petrique palam, Chriſtique ſubire

In ſolio fulgente vices, & promere claves,
Quæ reſerant, claduntque Polum. Iam templa laborant
Mole, ac plebe ſimul: portis gens omnibus undat,
Exundatque iterum, premiturque, premitque viciſſim
Turba ruens, acuitque oculos: jam candicat ordo
Purpureus: jubet alba fides mutare colorem,
Atque nives miſcere roſis: pars purpurat oſtro
Interior, pars exterior candore nivali
Albicat, erectis aſſurgunt tempora mitris
Candida, quæ ſectæ prætendunt cornua Lunæ.
Cætera turba Patrum niveum veſtita colorem
Lilia pura refert, fauſtique inducit honorem
Ominis: illa dies albo numeranda lapillo eſt.
Atria prima petunt, Templi quæ porticus amplum
Porrigit in ſpatium; quamquam gemere arcta videntur,
Et multa de plebe queri: ſpectacula pandit
Prima locus: venit ecce recens ad limina Paſtor
Chriſtiadum, ſpirátque polum, vultuque laceſſit
Sidera, ceu ſuperis etiam dominetur in aſtris.
Conſtitit hic paulum, precibuſque inflexit Olympum;
Excepitque Patres, atque oſcula prima recepit.
Mox ad Templa refert veſtigia; provocat ara
Relligione potens, Sacrum quæ Corpus IESU
Sub ſpecie panis Veſtali lumine ſervat,
Sed meliore fide: divinum hic Numen adorat
Pronus Alexander, pulſatque altaria votis.
Inde ad Gregorij, quæ proxima viſitur, ædem
Se tulit: hic collecta nitet pretioſa ſupellex,
Summus honor templi, ſacer & theſaurus: ad aram
Deſtinat hunc pietas, magnus cum prima Sacerdos
Sacra facit; radiant auri ſubtegmine veſtes,
Quas Phrygiæ diſcrevit acus, fulvique labores

umina delectant, pretioſa grandine turgent,
)uæ juſtis conſperſa locis per texta recurrit
lurea, lucentes diſtinguunt ſtamina flores,
lurea tota nitet gemmis currentibus ora.
'tant auro ſolido calices, auroque patellæ,
luro vaſa; minus licet hic fulgere nivali
Argento: pudet hic pompa ſplendere minori.
Hic duo conſpicio diverſa è gente micare
)rnamenta pari ſplendore, & diſpare cultu
)b Græcam Latiamque manum; concordia certis
Fœdera, Relligio queis Chriſti innexuit ambas,
Conjunxitque fide, diverſaque ſacra reliquit,
Qua non parte nocent, patrióque incedere ritu
Permiſit Graias illæſo numine gentes.
Fœderis hinc memores gemina ornamenta capeſſunt
Pontifices, geminas uno qui jure gubernant,
Inque unum redigunt ambas caput; auctus utriſque
Veſtibus, & duplici facturus ſacra paratu
Exit Alexander, mediamque incedit ad aram,
Quæ patet egregiis hinc, inde incluſa columnis.
Quattuor ære gravi, molli quos fida labore
Cælavit manus, & vario diſcrimine finxit,
Ceu cerâ formaret opus, ſpiriſque revinxit
Tortilibus, ſparſitque comas, & germina duxit
Frondea, ſuſtentant nitidi tectoria cœli;
Quæ ſuper expandunt ductu ambitioſa procaci
Quadratam faciem; celſo faſtigia ſurgunt
Vertice; fulget apex, & ſidera provocat arte.
Intima pars animat radiis aurata Columbam
Scintillantem auro, vertentem in lumina pennas,
Unde nitor micat effulgens, arámque coronat.
Hic locus eſt ſacris ſolemnibus: hîc quoque primùm

 Feci:

Fecit Alexander, populumque admiſit utrumque,
Dum linguâ dat utrâque legi quæ ſancta repoſcunt
Munera, ſic uno ſociantur ſanguine gentes,
Quod pretium commune fuit: tum rite peractis
Iam ſacris, extrema movet ſpectacula; templi
Exterior facies quâ latè extenta feneſtram
Pandit, & ingentem circunſpicit edita circum,
Progreditur. Sed cur tereti de ſtipite contus
Eminet erectus, ſtuppæque in vertice monſtrat
Faſciculum? morem agnoſco; præit unus, & alter,
Pontificemque monet ſignis ſua facta miniſter:
Ille tenet contum. flammas gerit ille, remittit
Hic contum, ſtuppaſque offert, tunc objicit ignem
Alter, & incendit, ſubitóque incenſa crematur
Stuppa oculos fugiens; tanta eſt violentia flammæ,
Inclamatque tenens: Sic tranſit gloria mundi.
Ne qua animum ſubeat jactantia, mortis imago
Objicitur, cogitque altos deponere faſtus.
Hoc tenuit, veteres ageret cum Roma triumphos.
Iamque adeo aſcendens ſupremo in vertice ſiſtit,
Deſpicit unde forum, videt unde, atque unde videtur
Omnibus, innumerum coit ad ſolemnia vulgus,
Nec capitur ſpatijs, cuncti faſtigia ſervant
Attoniti, maior ſubito cum apparet imago
Pontificis, ſupráque hominem, ſpiratque ſupremum
Numen agens Chriſtum; ſtat celſa in fronte Tiara
Tergeminum diadema ferens, & turbinis inſtar
Erigitur, ſuperoſque petit. Senſere potentis
Imperij vires cæleſtia ſidera, cœlum
Contremuit, tonitruſque dedit; concuſſa repente
Nubila ſudarunt, largoſque liquentia nimbos
Infudere ſolo; Phœbum timor abſtulit, horror

Eripuit-

Eripuitque diem: cunctos reverentia tangit
Pontificis, documenta pijs dant ſidera monſtris.
Conclamant pariter, pariter lacrymantur, & imbres
Involvunt oculos, nubeſque in fœdera luctus.
Donec Alexander levat alto è culmine dextram,
Effingenſque crucem, cæleſtia munera donat,
Exoratque Deum; tum deſijt ille videri
Tecta petens, populuſque illo cedente receſſit.
Fit ſtrepitus, fervetque forum, curruſque feruntur
Præcipites, varióque ruit vaga turba tumultu,
Lætaque feſtivæ ſpondet ſibi gaudia noctis.
Nec longas trahit illa moras: ciet aſtra cupido
Invida; ſuccenſent Phœbo, damnantque nitores
Indignata diem, melioraque lumina poſcunt.
Iamque coronantur ſummi faſtigia templi
Lumine perpetuo, vivuſque incenditur ignis,
Vicinæque micans incendia provocat arcis,
Angelus inſigni quam nomine donat: in orbem
Cingitur hæc, promitque faces, formatque coronam
Ignivomam, dant aſtra locum, radioſque comantes
Gnoſia ſubtraxit confuſa pudore corona:
Lux obijt; nocturna magis quo lumina poſſint
Collucere Urbi; primùm levia arma miniſtrant
Sulphureæ per inane faces, quas fiſtula nodis
Claudit arundineis, quam ſtuppea cingit in orbem
Tænia, texta premens, intus ſervatur ad ignem,
Sulphureus fæto latitat qui viſcere pulvuis.
Aera pervolitant; nunc recto in ſidera curſu
Diffugiunt, nunc ſe obliquo flectentia gyro
Incurvant, terramque petunt; pars fortior ignem
Concipit, & ſtrepitu vaga nubila rumpit acuto.
Mitiùs incedit pars altera, liquitur ignis

 Vltimus

Ultimus in lachrymas, moriuntur in aere guttæ.
Fit ſonitus ſcloppis, feſtivaque murmura flammis
Reſpondent, primúſque minor ſonus excitat aures:
Mox tormenta cient validos maiora boatus,
Quo reſonant latè fora, tecta, & templa fragore,
Indicium pugnæ, ſubitò reſoluta pateſcit
Machina flammarum, fontes imitata procaces
Cum tubulis expreſſa ſalit ſtridentibus unda,
Alta petens, rorare faces, igneſcere rores.
Aſpicias, paulúmque ſinus laxare rogales,
Et nubem formare levem, faculáſque volantes
Ire polo, vibrare ignes, motuque volucri
Huc, illuc celeres volvique, rapique favillas;
Sed ſeruare modum: tenuis nam flamma reſurgit,
Seque premit, paulùm creſcens, iterumque reſumit
A tergo vires; mox impetus altius ire
Compellit, laxare orbes, expandere nubem
Igniferam, pluvios quæ facta liquatur in ignes.
Attoniti dubitant oculi, num tela favillæ
Sufficiant, cælumque petant, jaciantque ſagittas?
Rorida num varijs ſe veſtiat ignibus Iris
Inflectens arcum, ducatque per æthera gyros?
An levis exultet medijs exercitus auris,
Et cieat feſtas ignito milite pugnas?
Sic flammæ, ſic tela volant, nec deficit horror:
Nam lugubre ſonant, crepituque per aera currunt,
Hæc Italis nubes Gyrandula rite vocatur.
Hæc repetita duas tenuit vaga lumina noctes.
Poſt ignes clypeus, ſummi qui ſtemmata geſtat
Pontificis, ſupereſt, radijſque micantibus ardet.
Hæc ſunt tergeminæ ſolemnia ſacra Tiaræ.
Victor Alexander cælo caput inſerit; Aſtra
Promittunt aliam poſt funera ſera Coronam,

SAN-

SANCTISSIMI
P. D. NOSTRI
ALEXANDRI VII
POMPA TRIVMPHALIS
VVLGO CAVALCATA

Ad Claudianam Venuſtatem.

FOrtè quieſcebat viridi Tyberinus in antro
Mitior, & liquidæ tenuabat cornua frontis
Indignatus aquis, Maij primordia menſis
Digna putans meliore nota: varioſque legebant
Inſtar apum gemino riparum margine flores
Naiades, & roſeis decorabant tempora ſertis.
Cùm ſe nova dies Græco ſacrata quotannis
Gregorio, clarum cui dia ſcientia nomen
Impoſuit, rutilis invexit læta quadrigis,
Atque novæ radijs præluxit ad orgia pompæ,
Quæ veteris renovet ſpectacula digna triumphi.
Ergò feſtivo miſcetur Roma tumultu.
Fervet turba vijs, hilarem juvat ire per Urbem,

Mirarique aulæa vago pendentia viſu,
Et quanto radient nitidæ ſplendore plateæ.
Iamque viris adduntur equi, curruſque volucres
Agglomerant; circumque petunt, ubi juſta Triumphi
Summus Alexander, Romæ caput Urbis, & Orbis
Cauſa latet, ſervatque domum, quæ proxima Petri
Regia ſe templo connectit, & hoſpita jungit
Tecta Deo. Fluit huc vulgus torrentibus actus
Ceu rapidis undante foro. Da pandere feſtum
Muſa diem, ſeriémque gravis deſcribere Pompæ.
Curribus illa dies properis inimica refulſit,
Totus honos ſervatus equis: ſtant conſcia laudis
Agmina cornipedum, phaleris inſignia, fulvo
Quæ diſcernit acus Phrygio de more metallo.
Aurea fræna nitent, auro lentantur habenæ,
Luxuries crinita jubis nodatur in auro,
Serica multiplici diſcurrit tænia lapſu
Diſcolor, & pendens per colla licentius errat.
Incipiunt complere forum, curruſque recedunt
In circum, qua parte vacat. Tuba prima ſonoro
Murmure ſollicitos ciet ad ſpectacula ſenſus.
Bellica reſpondet ſcloporum turbine contrà,
Inque vicem reſonat ſtatio, ſonitúſque remittit
Horridiore modo, ſed gaudia provocat horror.
It vicina cohors Equitum, removetque ſequentis
In latus affluxum populi, pariterque ſequuntur
Ordine ſervato famuli, qui ſtragula portant
Aurea cornipedum: videas deflexa parumper
Sole ſub adverſo Phrygios monſtrare labores:
Succedunt alij portantes ordine clavas
Argento ſolido, queis cederet Herculis illa
Ære gravis, pretióque minor: mox turba clientum

Inſequi-

Inſequitur, Sacrata Patrum quæ tecta frequentat,
Legatumque, virúmque domos, qui ſanguine nati
Egregio: cunctis it lucida veſtis, & auro
Præcipuis diſtincta locis. Quæ deinde refulget
A tergo præclara cohors candore nivali
Arma gerens; armatque nives, & flectit habenas
Huc, illuc, & mittit equos? En Martia noſtri
Pontificis volat ala, celer, pompæque decori
Conſulit, & certo diſponit in ordine turmas.
Quattuor à ſcuto famuli, geminique ſequuntur,
Mandatur portanda Feri queis mantica dorſo.
Poſt alij, rubro quos purpura veſtit amictu,
Incedunt lecti pedites, frænoque prehenſos
Alipedes ducunt, quos aurea ſtragula multo
Texta labore tegunt, longoque fluentia ductu
Verrunt penè ſolum: color illis candidus, omnes
Egregij, quos Parthenope dat grata quotannis
Pontifici, ſignatque dato ſacra jura tributo:
Tergeminæ fulgent auri ſplendentis honore
Lecticæ, pretioſa tegit quas purpura, grandes
Tecti auro portant ingentia pondera muli.
Quæ procul illa cohors fulgentia lumina fundit
Veſtibus, & gemmis inſignis, & ordine longo
Spumantes moderatur equos? Hanc plurima format
Nobilitas: non cura loci, non ordinis, omnes
Cogit amor, cui cedit honos: ceu ſidera fulgent
Ob ſpeciem, ſimulantque vagos non firma Planetas.
Quinos Pontificis famulos ſuccedere rurſum
Aſpicias, oſtro nitidos, claviſque minaces.
Quattuor inde decem criſtato vertice, rubro
Inſignes habitu reſonantia tympana pulſant,
Præceduntque tubas, quarum chorus excitat aures,

Ingeminátque ſonos: ſequitur mox turba, cubili
Quæ præfecta Sacro, Cameræ cuſtodia, fidi,
Et vigiles famuli. Properat gens docta Patroni
Multiplices, qui jura docent, cauſáſque miniſtrant.
Quattuor erectis videas incedere contis,
Et totidem rubros pro cuſpide ferre galeros.
Unde tamen decor ille venit, quem plurimus ordo
Veſtibus oblongis, manicis pendentibus, ater
Quos color infecit, turmis præeuntibus affert?
Ille ſapit Romam, Romanaque munia ſignat.
Ecce Magiſtratus Urbis, veteriſque Senatus
Effigies; qua ſpirat adhuc venerabilis Orbi
Majeſtas, faſcéſque novat, reuocátque ſecures.
Hos ſequitur ſacrata manus, cui noſcere cauſas,
Et cenſere datur: partim diplomata tractat
Pontificis, partímque Rotæ memorabilis uſu
Et leges, & jura movet, finemque reponit
Litibus, & recto componit fœdere cauſas.
Additur his ſocius Sacri lux docta Palati
Angelici ductus Thomæ de Sole Magiſter.
Quattuor inde Urbis Polemarchi veſtibus albis
Puniceiſque nitent, queis pilea vertice ſurgunt
Nigra, quater denos totidem regionibus Urbis
Præpoſitos videas Hiſpana veſte ſequentes.
His color eſt habitus argenteus, aureus enſis,
Pilea nigra, comas eventilat aura volantes.
Signifer hos inter ſacer emicat, ardet in auro
Splendidus: & Socius qui ſe caput omnibus addit,
Dicitur unde Prior, quem cætera turba veretur:
Mox alij, diverſa notant quos munia Romæ.
Floridus hic Equitum numerus, qui ſanguine clari
Stemmata priſca gerunt, & avorum nomina jactant,

Splen-

Splendet, agens ad fræna feros: it veſtibus aurum
Textile, ſolari reſplendent lumine gemmæ.
Ecce duo rutilant ſocij, quos gratia vultus,
Et veſtis commendat honos: par cultus utrique,
Majeſtaſque nitet; cuſtodia bellica circum
Funditur, arma tenens; juvat ire, & cominus ambos
Noſſe juvat; micat hic Vrbis Moderator, & ille
Legatus Venetum, tantæ duo Sidera pompæ.
Tum ſeſe gemini, tractant qui Sacra, miniſtri,
Et mores, legeſque docent, rituſque verendos
Obſervant, dictántque ſimul, properantibus addunt.
Hos alij rubræ dicti de nomine virgæ
Excipiunt. Crux ecce venit prælata vetuſto
More micans, gerit ille manu, qui fulget abolla
Punicea. Vivos cerno ſuccedere flores
In pueris, quos Roma tulit: ſtat gratia puris
Cruda genis, tenet ore decor, nec germine malæ
Pubeſcunt, roſeos tantum dignantur honores,
Et ſuperant, nitidúſque decet puerilia cultus
Corpora, verſicolor Phrygio ſubtegmine veſtis
Candicat argento, micat auro, lumine fulget
Gemmifero; criſtatus apex comittitur auris:
Plumeſcunt niveis nigrantia pilea criſtis.
Ire quaterdenos videas, peditéſque præire
Pontificem, qui ponè venit, pars maxima pompæ
Summus Alexander, Romæ Pater Urbis, & Orbis
Iuſtus Amor. Sella vectus ſedet ille curuli;
Et patet, optantum fraudetne lumina viſu,
Qui coeunt; vultu gravitas immixta pudori
Cernitur, auguſta ſpirat de fronte vigorem
Æthereum, nectarque refert, ſtant ſidera nutu,
Fixa ſupercilijs, quatit aſtra, polúmque laceſſit,

Exten-

Extenditque manum, populum cruce ſignat, Olympi
Dona ferens, veniámque reis de munere Chriſti,
Cujus agit, redditque vices. Hunc turba ſalutat,
Clamoremque ciet; repetito murmure clamat
Victor, io, veteres renovans hac voce triumphos.
Illum ponè ſequens it turba domeſtica, cultu
Egregio, partita locos, pro munere quiſque
Sortitur, ſervatque ſuum, ſequiturque parentem.
Vltima lux pompæ multò ſpectabilis oſtro
Emicat, incendit prolixas purpura veſtes
In longos flammata ſinus, rubrique galeri
Vertice reſplendent, Sacri quæ ſigna Senatus,
Quo Romana fides, ceu cardine nititur, omnes
Aſpernantur equos, nitidis incedere mulis
Mos jubet antiquus. Sequitur pulcherrimus ordo
Pontificum, quos mitra decet; queis ſacra virorum
Agmina ſe jungunt Romanæ proxima Sedi,
Munera qui divina gerant, Petróque miniſtrent.
Clauditur armatis hic pompa cohortibus: arma
Sunt pia cincta togis. Equitum levis ala coruſcat
Purpureis induta ſagis, galeata ſuperbit
Pondere criſtarum, levat haſtas, bella minatur
Dulcia, parua notis vexilla movenda remittit.
Sed maiora gerit Romanæ Signifer Urbis,
Stant ubi texta ſimul duo ſtemmata Sacra, profana:
Littera ſcripta notat, Patres, Populumque Quirini.
Hic ordo, decor hic pompæ. Quis cætera verſu
Commemorare queat? quali tormenta boatu
Aligeri moles turrita retorquet in auras?
Quantus & undanti populo deſpexerit vndas
Pons Tyberis? quali Capitolia celſa paratu
Ornavere diem? quantus decor induit Arcum

Septi-

Septimij? quali Parmæ Viridaria cultu
Extinxere roſas? dignè quis ſcripſerit arcus
Ornamenta Titi, Patriſque? Coliſſea verſus
Non capit exiguus. Quæ carmina? lemmata? plauſus?
Quæ voces? quæ vota? preces? quæ gaudia? riſus?
Atque piæ lacrymæ? Spectacula vulgus amavit,
Sed nummi placuere magis, queis prodiga dextra
Aera conſperſit, ſed nullus abivit in auras;
Collegere ſinu (tam cara pecunia) turbæ.
Cætera, quæ templo Laterani Maximus egit
Paſtor Alexander, veneranda ſilentia poſcunt.
Aſtra notant: fragili non ſunt credenda papyro.
Hoc ſatis eſt Muſis, ſit terminus Ara Poeſi.

CATHEDRA SANCTI PETRI ROMANA ASSERTA, ET ORNATA AD. N. ALEXANDRO VII.

SI quis adhuc dubiæ librabat pondere mentis
Illius antiquæ momenta æqualia cauſæ,
Præſtaretne arti natura, an cederet arti?
Dirigat huc oculos, quà ſe nova machina pandit
Ære rigens, auroque micans: qua ſede locatur
Prima Petri Cathedra, & pignus venerabile ſacri
Conditur Imperij, mediaque in luce videbit
Cedere Naturam præſtantis viribus Artis.
Tantus honos operi! ſatis & commendat honorem
Nomen Alexandri, qui nomine Septimus, Urbi
Romanæ ſeptem miracula reddidit Orbis,
Quæ varijs animi decorat virtutibus Heros.
Hunc adeo ſtimulabat amor monumenta vetuſtæ
Eruere è tenebris, & promere jura Cathedræ,
Deterſoque ſitu priſcum renovare nitorem:
Quæque fuit Fidei ſedes, huic juſſit haberi
Phæbea de luce fidem; Phæbeius autor

Illius

Illius eſt operis: quo Petri aſſerta vetuſtas
Eſt Cathedræ. Sedem hanc unam, propriamque fuiſſe
Iam tunc à primo docuit quo tempore Romæ,
Docta manus probat, & juſtis rationibus addit
Dicta Patrum veterum; cumulat ſuffragia certis
Ex in ſcripta notis authorum ætate minorum;
Adjicit inde fidem, memori quæ nititur ævo;
Quæque olim fuerat, nunc eſſe oſtendit eamdem
(Clarum opus, & Phæbi ſplendore, ac nomine dignum)
Hac in ſede Petrum primum ſediſſe docentem,
Hac olim ex Cathedra fudiſſe oracula genti
Chriſtiadûm; leges populis, & jura dediſſe.
Nobilis hinc ardor Divini è Flaminis igne
Ortus Alexandrum, cui non niſi magna recurſant;
Impulit, ut Cathedram priſca de ſede moveret;
Transferretque alio, dignos ubi lucis honores
Acciperet, ſtaretque nitens in culmine Templi;
Funderet ut radios, & lumina panderet Orbi:
En locus. Attonitos rapit ænea machina viſus:
Iam Phæbo maiore feror. Ne Græcia jactet
Phidiacæ monumenta manûs. ſtupet Ægide Pallas
Depoſita linquens haſtam: fit ſaxea mole
Viſa operis, patulo riſum movet ore Meduſa:
Inſtat Alexander Lyſippo iratus, & ictum
Enſe minax vibrat, quòd victus imagine cedat
Æris imaginibus. Venus arguit aurea cælum
Praxitelis, mavult fingi ærea, & invidet arti.
Iam Polycleteæ languent miracula dextræ;
Rapta fuga campis it Buccula dicta Myronis.
Hic Temeſe ſtupefacta ſilet, pertæſa metalli
Ingeniti, cupit æs Urbis. Felchinia muſſant
Agmina, nec ſacras audent temerare figuras;

Sed procul innocuos artis meditantur honores.
Huc veniunt operis fama ſtimulante gigantes
Æolij: minus hi credunt æqualia Romæ
Poſſe ſuis excudi opera, & fornacibus ignes
Ætnæis ardere pares, ridentque lacertos
Vulgares, parvaſque manus: primuſque Pyracmon
Adveniens ſtupuit, ſenſuſque amiſit, & hæſit
Exanimis: poſt hunc Steropes correptus eodem
Deliquio, fratrem prope conſtitit inſcius, amens,
Incertuſque ſui: Brontes ardentior ira,
Viribus ut melior, pervenit tardius; illum
Non tam viſa citò pupugerunt Æra: notavit
Ille prius molemque operis, dextræque potentis
Ingenium, ſubijtque dolor, mixtuſque dolore
Livor, & invidiæ ſtimulis pungentibus actus
In rabiem, mentem quoque perdidit. Omnibus ergo
Immotis facies ſtatuarum conſtitit: illo
Exanimes manſere loco. Cæleſtis origo
Viſa operi: perfecta polo fluxiſſe putabis
Aligerum manibus ſimulacra. Incluſa patenti
Stare loco videas. Quâ ſe pars ultima Templi
Porrigit auguſti, parte interiore ſacellum
Viſitur eximium; paulò altius eminet amplo
Proſpectu, laxóque ſinu, quem libera format
Area circuitu juſto expatiata; polito
Marmore ſtrata nitet, gremioque invitat aperto
Intrandi cupidos. Placuit ſitus ille tuenti
Omnia Alexandro, pietas quem ſumma peritum
Fecerat, ut Cathedram meliori in ſede locaret.
Ac, ne aditus facilis de Relligionis honore
Detraheret, maiórque foret reverentia Sacri
Pignoris, acceſſum tardavit cratibus, antè

Objectis, circumque actis, & molliter undam
Effuſi ad portam populi frænantibus. Ergo
Clauſtra vides ferrata loco, quæ pulſa timore
Pectora Divino quatiant, & numinis intus
Incluſi moneant; ſed ne formidine mentes
Deſperent, viridi cernas depicta colore,
Unde venit ſpes certa aditûs, & cuncta videndi
Poſt aditum Cathedræ miracula larga poteſtas.
Impulit hîc Phæbus cunctantem. En quattuor adſtant,
Inſiſtuntque ſuper quadrato è marmore baſes,
Effigies ex ære Patrum, qui mole Coloſſos
Immanes referunt, formæ ſed honore decoros
Pontifices. Spirare oculis, ac ore vigorem
Arte manus videas: eſt ænea vita, colorquè
Æreus in facie: viſa eſt mollire venuſtas
Duritiem chalybis, nitidos cum fingere vultus
Ars voluit; natura genis blandita roſarum
Delicias, frontique nives indulſit, & ori
Ambroſios ſuccos, hilaréſque afflavit honores.
Paruit ingenio vis obſequioſa metalli
Tortilis in crines, in venas ductilis, inſtar
Liquentis ceræ facies ſe vertit in omnes,
Oblituſque ſui rigor æreus omnia cepit
Tentamenta manûs: docuit miteſcere ferrum
Alma fides, pietaſque virûm; reverentia flexit
Durius ingenium; ſtupuit natura videndo
Tam molles uteros, tam mollia ineſſe metallis
Viſcera: conceptas ſubitò grandes cere formas
Ingenteſque artus, atque integra corpora fundi,
Citra præſidium Lucinæ, & tædia portus!
Quid memorem veſtes? quarum non mollia duxit
Fila colus, non pinxit acus; ſine vellere lanæ
Bombicumve opera, lini ſine ſemine, nullo

Textrinæ officio, liquefacti ex igne metalli
Obſequio, in corpus ſubito venêre paratu,
Et texére artus, fuſæque decenter amictus
Suffecére novos: tunicarum pectora velo
Tecta manent, manicis aptantur brachia, pendent
Ex humero in tergum prolixo pallia jactu.
Nec ſimplex ſtat forma, plicas admittit, & undas:
Nunc arctos collecta ſinus ſuſpendit in altum,
Nunc laxos effuſa pedes demittit ad imos.
Cuique tamen ſuus eſt habitus: duo Græcia veſtit
Interius tunicis, ſuperadjicit inde planetas
In morem quadri, laterique remittit apertas;
Et cruce multiplici ſignata oraria pendent:
Ollis intectum caput eſt: non ulla Tiara
Aut crines tegit, aut cingunt diademata frontem.
Eſt alius Latio veſtis modus: ille duorum
Extitit ornatus, retulit quem proxima verſu
Calliope; mitrata tegit capita alta Tiara,
Pontificum Latiale decus, colloque remittit
Lemniſcos geminos, quos excipit aura volantes.
Quattuor hi Patres Cathedræ pia pondera junctis
Suſtentant dextris: extendere brachia cernes
Hinc atque hinc, conferre manus, medioque locatam
Excipere, ac firma exceptam ſtatione tenere.
Horum Græca duos Eccleſia mittit ab Ortu,
Mittit ab Occaſu doctrina, & moribus æquos
Noſtra Latina duos: ſtant recto corpore Græci
Interiore loco, parte exteriore Latini
Conſiſtunt: cunctis forma eſt veneranda: magiſtri
Docti omnes, ſcriptiſque omnes, & nomine clari.
Dotibus æquales: nec multum diſcrepat ætas.
Ille prior, dextram qui porrigit intimus, ille eſt

 Magnus

Magnus Athanaſius, Græcorum lumen, Arij
Hoſtis, & everſor, Sacri pars magna Niceni
Concilij, Fidei qui ſymbola ſcripſit, & inter
Hæreticas acies, Furiarumque agmina, Chriſti
Extulit & ſignum conſtans, & prælia geſſit
Magnanimus, fregitque hoſtes, domuitque rebelles.
Proximus ad lævam decus eſt Orientis, ab auro
Eloquij qui nomen habet; nam flumen ab ore
Volvitur ex auri per verba fluentibus undis;
Ioannes ſcriptis, & voce inſignis, & actis
Egregius; ſæpe inſidias expertus, & iras
Hoſtiles, ſtetit intrepidus; Romanaque jura
Subditus agnovit, Patremque in vota vocavit
Innocuum contra vires Chalcedonis, Aras
Teſtatus Latias, & Sanctæ oracula Sedis.
Tertius exterior, dextrâ qui parte Cathedram
Suſtinet, eructatque favos, & roſcida mella,
Ille eſt Ambroſius, cujus cunnabula cinxit
Olim examen apum, puroque inſedit in ore,
Omine nectareo: cui florida copia fandi,
Florida ſcribendi vis adfuit: ille roſarum
Delicias qui noſſe velit, pia ſcripta revolvat
Ambroſij; multum ille favis, & nectare Romæ
Profuit, & Fidei; ſed non minus acer in hoſtem,
Ceu Leo proſiliens rugitu, contulit; inter
Mella, & apes fortis dulcedine: fudit Arij
Relliquias, Iuſtinæ iras, & vulnera paſſus;
Aſſeruitque Fidem, Chriſtique accendit amorem.
Quis tamen ille, tenet lævam qui proximus? Ori
Quantus honor! quantuſque oculis vigor inſidet! alta
Mente velut meditans erecto corpore ſurgit,
Doctoriſque inſtar librum prætendit apertum:
Noſco Aquilam: noſco Phœnicem: & mentis acumen Hu-

Humanæ: columen Fidei, ſulmenque neſandæ
Hæreſis, Alcidæ ſimilem, qui monſtra peremit
Omnia, non clavæ, ſed doctæ robore pennæ.
Hunc timuit Manes, tremuit Donatus, Arius
Horruit, hunc metuit Sabellius, hunc quoque fugit
Eunomius, fugit Macedonius: inſtitit acer
Donato, & prenſum fregit cum partibus ille,
Et Fortunati technas, & dulcia Fauſti
Vincula diſſolvit, fucos, fraudéſque Rogati
Prodidit: hunc tremuit Pelagius author acutæ
Hæreſis; hunc veritus Celeſtius horruit: illum
Turba minor capitum extimuit, quæ Gratia Sanctis
Ignibus extinxit, quos flammeus intulit Ales:
Auguſtinus hic eſt. Salve ò Pars maxima Sedis,
Præſidium Fidei. Salve ò meus ignis, & olim
Gloria; nunc miſeri tantùm ſolatia caſus.
Quattuor hos ſuper Atlantes Cathedra alta recumbit:
Quattuor una petit: quanti ſit ponderis illa,
Noveris hinc. Vnus Cæli tot ſufficit Atlas
Orbibus, ille humeris tantam molem excipit unus,
Et tenet, & verſat; ſed quattuor exigit una
Atlantes Cathedra; & cæleſti grandius Orbe
Eſſe ſuum teſtatur onus: nec Fabula vana eſt.
Nam qui motus agit cæleſtia corpora, verſat
Tantùm orbes ſuperos, metas ſibi ponit in aſtris,
Nec terram attingit, noſtrum nec concitat orbem.
At Cathedræ Petri Chriſtus conceſſit utrique
Dicere jura Orbi; terrâ, cælóque ligandi,
Solvendique dedit, nullo diſcrimine, vires.
Noluit huic metas rerum, vel tempora poni.
Ad Cathedram me Muſa vocat: ſuper inſidet Aram,
Quæ medio conſtructa loco ſe pandit: utrinque

Adſtant Aligeri, venerantur Sacra, tuentur
Et pennis, vigilantque ſuper; Cathedra eminet altè,
Et ſuſpenſa nitet: ſed non tamen illa pateſcit
Vulgi oculis: occulta latet; tenet altera clauſam,
Auratum obducens tegumen, quo grandior inſit
Relligionis honor; paſſim neglecta putantur,
Quæ patuêre oculis. Cathedram prope Chriſtus adeſſe
Viſitur, atque manu Claves præferre, ſedenti
Ceu tribuat Petro Cathedræ virtute manente
Æternùm, ſeriemque Patrum per cuncta ſequente
Secula, qui Petro ſuccedant, & vice Chriſti
Imperium teneant animarum, & ſidera monſtrent.
Chriſtus adeſt Cathedræ, & quamquam negat ipſe videri,
More animæ inſpirat vitam, præbetque vigorem.
Quæ tamen ex alto deſcendit vertice mitra,
Caſſidis in morem turrita, & tecta corona
Tergemina, inſignis triplici diſcrimine texti
Staminis, & certis diſtinguitur intervallis,
Exhibet Imperij ſignum, & Regalis honoris
Dat ſpecimen, Regnumque adeo de jure vocatur
Regifico. Primam Sylveſtro donat habendam
Conſtantinus, agens cauſam Pietatis honoræ;
Cum Roma excedens, Sceptrumque, & jura reliquit
Imperij Petro; hanc Cathedram veneratus, & Orbem
Eoum meditans, Byzanti admænia Regnum
Tranſtulit; atque ſuo decoravit nomine Sedem.
Principium Regno dedit hoc diadema. Secundam
Detulit Hormiſdæ victor Clodoveus, origo
Chriſtiadum Regum, quos Gallia protulit ortu
Felici ſerie non deficiente nepotum,
Perpetua currente Fide: virtutis amore
Belligeræ captus, Clodovei & nominis, olli

Miſit

Miſit Anaſtaſius Princeps Orientis: at ille
Maluit Hormiſdæ, Petróque offerre Coronam.
Tertia Pontifici tandem eſt donata Leoni
A Carolo Magno, Pietatis imagine, belli
Fulmine, Palmarum cumulo, vivóque Trophæo,
Romanæ pariter cultore, ac vindice Sedis.
Tres adeo cumulant hoc Regnum inſigne Coronæ:
Aligerum manibus portatur ab æthere Regnum,
Numine quòd ſuperùm afflati donaria Reges
Ampla dedère Petro, ſediſque auxêre decorem.
Me vocat alarum ſonitu ſublimior Ales,
Lucida quâ puro fulgent ſpecularia vitro.
Aſpicio: media dat ſe ſe in luce videndam,
Flamini; ætherei Divinum inſigne, Columba,
Ad numerum expanſis pennis, ceu remiget auras
Exertoque velit recitare oracula roſtro.
Hæc Cathedræ ſtat fida comes, ſemperque ſedentem
Pontificem perflat, dextrámque inſpirat in aurem
Supremi decreta Dei, dictatque loquenti
Senſa, & verba Sacræ doctrinæ, & moribus æqua.
Vt Cathedræ ſit firma fides, ſit juſta poteſtas,
Seu doceat, ſeu præcipiat; Viden? undique fundi
Lumina diſtincta in radios, & flammea mitti
Spicula, & incendi glomeratis ignibus auras?
Scilicet illa nives ſuperans candore Columba,
Iordaniſque pijs alludens fluminis undis,
Diligit ardentes verſa vice diligit ignes,
Et fluit in flammas, cùm Spiritus egit, & ignem
Reddere vocalem linguarum in imagine juſſit:
Servat adhuc ſtudium, quæritque in lumine flammam.
Quin hoc illa loco geminos conjungit amores
Et lymphæ, & flammæ: nam copia luminis imbrem

 Efficio

Efficit affluxu radiorum. It miſſa per auras
Lux inſtar roris, pluviæque inciſa: fluitque,
Statque nitor tremulus. Dubites, an luceat imber?
An ne pluat ſplendor? Lux eſt pluvialis: in unum
Miſcentur nitor, & nimbus. Nec nubila deſunt;
Namque volant circum æratæ per cærula nubes,
Quæ tumidæ pluvios fætus in viſcera condant,
Parturiantque imbres. Montes extare videbis
Ambiguos, imbres ne cadant, an lumina ſurgant?
Fulmina nulla timent; felix nam Stella coronat
Culmina, & à Chiſio deducit lumine lumen.
Plaudunt Aligeri ſuſpenſi ex aere, mirum
Examen volucrum, pennis innectere pennas
Aſpicias, manibusque manus, ac oribus ora,
Atque pedes pedibus: mirantur deſuper Aram,
Et Cathedram, laudantque notis, geſtiſque loquuntur.
Mox ad ſe redeunt, & qua ratione, requirunt,
Ære gravi poſſint levibus pluméſcere pennis,
Ferri alis, ſurſum attolli, pendere volantes?
Nec tamen ire ultrà niſus tardante metallo?
Æs dedit Aligeris pennas, æs ſuſtulit alas.
Artificis quàm pulchra manus! Sic luſit in ære,
Inque auro, vt fulvos æri deferret honores,
Et pretium; rurſusque auro concederet æris
Duritiem, roburque; manet rigor æris in auro,
Aque iterum rutilans vis auri ſplendet in ære.
Hæc pompa: hæc ſpecies Cathedræ: pulcherrima viſu
Sed maiora latent intus ſpectacula, ſenſu
Quæ ſæta arcano pulſant corda intima. Numen
Maius ineſt Cathedræ: ligni per ſigna caduci
Res quærenda oculis animi. Doctrina, Poteſtas
Pontificum Cathedræ ſignatum nomine, cunctis

Quæ

Quæ venit à Chriſto conceſſa ſedentibus, illa eſt
Communis Petro & reliquis; hæc lignea ſolùm
Excepit Petrum, propriáque in ſede locavit;
Caſibus humanis obnoxia, debita fato.
Illa æterna manet nunquam interitura, barathri
Inferni fractura fores, & Clavibus aucta,
Quæ reſerant Cœlum, claudùntque, & ſidera pulſant.
Qui tamen hanc Cathedram tenuêre, hos Muſa recenſe;
Quippe omnes numerare potes, ſeriemque referre.
Hac Sedit Petrus, qui nominis unicus: illum
Vnicus excepit Linus, & Cletus unicus: inde
Clemens, qui primus de nomine protulit octo
Temporibus variis: poſt hunc Anacletus inivit
Vnicus hanc Sedem. Syrus hanc Evariſtus, & ipſe
Vnicus accepit Cathedram; quem deinde ſequutus
Primus Alexander, ſeptem qui nominis hujus
Edidit: huic Sixtus, peperit qui nomine quinque
Succeſſit ſimiles: ſequitur Teleſphorus unus
Nomine, & Higinus. Pius hunc eſt inde ſecutus,
Quinque ferens comites: Anicetus, Sother & unum
Nomen Eleutherio ſocio traxêre: priores
Hos Victor tribus auxit, ei Zephyrinus adhæſit
Unicus: at ternos Calliſtus reddidit: octo
Urbanus peperit primus: ſucceſſor eidem
Nomine Pontianus ſubit unicus; unicus illi
Antherus, & Fabianus: adeſt Cornelius unus.
Lucius hunc ſequitur, qui tres de nomine profert:
Poſt Stephanus properat, veſtigia prima noveni,
Vel deni inſiſtunt. Dionyſius unicus exit.
Quattuor adducit Felix: conſumptus in uno
Eutychianus adeſt, Caius comitatur & unus,
Et Marcellinus. Marcellus at unus, & alter

Conſertas

Conſertas traxère manus: quos excipit unus
Euſebius, quem Melchiades quoque ſuſcipit unus.
Uni Sylveſtro ſocium ſeſe addidit alter.
Marcus abit ſolus. Secum tres Julius affert.
Vnus Liberius. Damaſus trahit inde ſecundum.
Unus Siricius Cathedram implet, quartus adauget
Nomina Anaſtatius: ſubit Innoque centius, addit
Et denos, numero ſe Zozimus inſerit unus.
Nomina magna novem Sedi Bonifacius infert.
Celeſtinus, agens de nomine quinque, propinquat
Inſidens Cathedræ. Noſco Primi ora Leonis,
Vndenos Sedi qui ſufficit: unicus illi
Proximus eſt Hilarus: ſolum ſe nomine prodit
Rurſum Simplicius; Gelaſius unus, & alter;
Symmachus unus adeſt; Hormiſdas unicus. Agmen
Ioannes trahit ad Sedem: dicuntur eodem
Nomine viceni terni. Tenuêre Cathedram
Agapiti gemini: tenuit Silverius unus,
Vigiliuſque unus, geminuſque Pelagius inde.
En duodena gerit Benedictus nomina Patrum,
Gregorius denoſquinos. Succeſſor at unus
Sabinianus adeſt: tunc ille Deuſdedit unum
Se dedit. Ad quartum ſe extendit Honorius. Vnus
Ecce Severinus. Theodorus at unus, & alter
Adveniunt. Quini Martini in Sede reſidunt,
Quattuor Eugenius ſub nomine ducit eodem,
Solum ſignificat ſe nomine Vitalianus,
Solum Adeodatus, ſolum ſe Domnio, ſolum
Seque Agatho, Cononque adeò: tamen una recepit
Paſchales geminos Sedes. Vocat inde quaternos
Sergius, inque unam aſcendit Siſinius unus:
Et Conſtantinus Cathedram tenet unus, & unus

Zachæ

Zacharias. Pauli quini venêre ſequentes.
Sex Adrianus habet ſimiles. Sedet unus in illa
Sede Valentinus. Nicolaus nomine primus
Excepit quinos. Formoſum vidimus unum,
Unum Romanum Romana in Sede locatum,
Chriſtophorumque unum, & Landenem accepimus unum.
Claudit Alexander numeroſum ſeptimus agmen
Gentis apex Chiſiæ, Senarum gloria, Romæ
Certa ſalus, Cathedræque decus, qui plurima Sedi
Ornamenta dedit, nulli virtute ſecundus
Maiorum; ſequitur quos tantùm ætate, præire
Exemplo poterat priſcis ſi viveret annis.
Servavit tamen hunc Superûm vis provida noſtris
Temporibus, foret ut miſeris ſpes unica rebus,
Malleus hæreſeon, Fidei firma anchora, Pacis
Autor, & exactor Peſtis, qui pellere poſſet
Urbe famem, qui damna domo, qui dira fugare
Bella foris, refovere inopes, feſſóſque levare,
Solvere captivos, vinctiſque in carcere vincla
Eximere, ac tenebris ereptos reddere luci.
Huic ſacrare datum Cathedræ ſolemnia, priſcum
Et renovare decus, priſcoſque afferre nitores.
O Cathedra! O Sedes! juſtiſſima cura Tonantis,
Verus amor Superûm, ſalve. Te ſpiritus afflat
Igneus, & linguis circumflammantibus ambit.
Salve iterum; da pauca mihi præconia laudis
Decantare tuæ, & plectrum ſuſpendere quercu.
Hîc ſedet inconcuſſa Fides: hîc Sancta refulget
Relligio, hîc habitat veri doctrina; petuntur
Hinc leges, hinc jura Orbi, documentaque morum;
Hinc populi accipiunt, & viva oracula ſumunt.
Hinc fraus omnis abeſt, dolus, & fallacia, fucus

Hinc

Hinc procul eſt, longè falſum exulat, exulat error.
Hanc qui ritè tenet Divina ſorte vocatus
(Scilicet is, quem juſta legunt ſuffragia Patrum)
Qui ſit cumque, vices Chriſti gerit, & capit omne
Ius paſcendi animas doctrina, & legibus: olim
Tradita quæ Petro cum Clavibus alta poteſtas,
Huic ſuccedenti committitur: omnia Chriſti,
Non propriâ, virtute gerit. Stat Numen in illo,
Cum ſedet in Cathedra: dictat reſponſa loquenti,
Deducitque manum ſcribentis Spiritus Ales.
Ille Ales Iordanis aquis, qui more Columbæ
Incubuit, viſuſque aliàs igneſcere linguis.
Hanc Reges, & Regna colunt, it ſparſa per omnes
Fama plagas Cathedræ: quâ Sol Oriente refulget
Luce novus, quâ ſe occiduis demergit in undis:
Quâ Boreas riget, & pluvius diſſolvitur Auſter.
Romæ immota ſedet, totúmque vagata per Orbem
Vltra Indos, Iaponas, Sinas, Malavares, Iavas,
Æthiopas, Ialophos, Braſiles, Paraguayas, & Incas,
Imperium profert, Fideique oracula fundit,
Et Crucis extremo vexilla in limite Mundi
Egit, & ignotos adſidera provocat Orbes.
Suadet Alexander, Cathedræ qui præſidet, omnes
Qui vigil in partes animum diſpenſat, & Vrbis
Incola circumfert agilem per barbara mentem
Regna, parans Cathedræ varias adjungere gentes,
Et proferre Fidem, ſoliumque immane Tyranni
Biſtonij Petri plantis ſubmittere, collo
Suave jugum Chriſti deſueto imponere, fœdos
Mahometi errores cum turpi evertere ſecta.
Nec deſperandum tibi Roma hoc Principe (pignus
Accipe tu Cathedræ præſentis, & omina) Turcam

Chriſti

Chriſti hoſtem ceſſurum armis, pænáſque daturum.
Quippe decet Chriſto, præfert qui lumine Solem,
Turcarum, Chiſia Stella Duce, cedere Lunam.

LVDOVICO BORBONIO. PRINCIPI CONDÆO.

PRIMO REGIJ SANGVINIS PRIN-
cipi, Pari Franciæ Primo, Archiæconomo Regiæ Domus Galliæ, Duci Anguienſi, & Caſtelruiſſenſi, & Montmorantio, & Albretenſi, & Fronſacio, &c,

EPINICIVM.

Siquis in armati ſpirantia Principis ora
Et Bellonæ ignes, & fulmina Martis anheli
Dirigit obtutus: nativo horreſcere ferro
Membra putet, rigidoque artus conſtare metallo.
Armatum ſic arma decent. Tam pulcher in ære
Stat ſolido! non pondus ineſt; ceu membra moveret,
Arma movet: ciet ira decus, decor incitat iram;
Horror, amórque uno miſcent concordia vultu
Fœdera: in affectus varios mens ſcinditur: illo

Nunc

Nunc horretur amor, nunc horror amatur in ore.
Stant pacis, bellíque notæ. faciéſque ſuperbit
Vulnere: ſorderet decor exarmatus; ab ictu
Vis formoſa venit, quòd Martia. Turpe putaret,
Quod muliebre putat. Sanguis Borbonius ardet
Prodere ſe factis, veniſque ebullit honorâ
Ambitione cruor: pudet arcto limite claudi,
Effundíque jubet, famam indignatus inanem.
Gloria fæta placet, meritis quæ nixa reſurgit,
Quæque minus ſorti ſe credat, & oderit aſtra.
Nominis hæc Princeps te dudum incenſa cupido
Impulit ardentem, varios ut Palladis Orbes
Conſiceres, Sophiæque foro ſpatiatus, in omnes
Abdere te latebras, ſecretaque numina poſſes.
Scilicet illa tuæ vis ignea mentis obibat
Infima, ſumma poli; cuncti patuere receſſus
Ingenio; tibi ludus erat Sapientia, libros
More pilæ volviſſe ferunt: prætexta togatum
Reddidit. Ante comas cinxit vix tempora laurus
Fluxa per ætatem, præludere docta capillis;
Mox ſtudijs Mavors invidit Palladis, & ſe
Intulit impatiens, objecit & otia: quamquam
Non ea Pelidæ, non Herculis, inter inermes
Ducta colos, ſe degeneri prodentia furto,
Et pudibunda ſui: tamen hæc damnavit Achilles
Gallicus, erubuitque moras. Tulit impetus illum
Martius ardentem: rigidos non horruit enſes:
Quæ ſtudijs aſſueta manus, non inſcia ferri
Torpuit in cædes; non arte inſtructa magiſtra
Edidicit vibrare ictus; propriòque vigore
Se docuit. Nec enim didicit torquere triſulca
Fulmina dextra Iovis; nullo præluſerat antè

Vulneri

Vulnere, cum primùm Cœlo jaculatus ab alto eſt.
Paruit imperio ferrum, vis una jubentis,
Et ferientis erat. Iam Cæſaris inſtar abibat,
Librúmque, gladiúmque gerens, Generúmque ſecutus,
Quàm miles, Dux antè fuit. Prius impulit arma,
Armorum quàm ferret onus. Senſere furentem
Caſtellanæ acies, tenero cùm flore juventæ
Æquavit virtute Duces, maturaque prompſit
Robora. Principibus ceu Parthenopæus Achivis
Mixtus Echionijs patrabat funera campis.
Perpinianææ ſenſerunt fulmina turres,
Dextera cum rubuit Bellonæ accenſa furore,
Involvens ſimul arma, viros, & mœnia flammis.
Haud aliter movit Capaneus incendia Thebis
Integer, ante iras, fulménque immane Deorum.
Nec ſatis eſt viciſſe ſemel, cumulavit honores
Laurigeros iterum. Furijs cùm ductus iniquis,
Quâ Rocroyenſes ſitiebant funera campi,
Impia promovit Belgarum è finibus arma
Mellius (à Luſi qui ſanguinè degener iras
Hauſerat Hiſpanas) dum Gallia mæſta parabat
Funera, lugubres habitus induta, recenti
Morte Pij, Iuſtique Patris: ratus arma gementi
Deſore: ſed raptis Princeps ſeſe obvius armis
Obtulit, & læſa pietate ferocior, iras
Exacuit, ſtragémque dedit, Regique perempto
Hoſte parentavit, minuitque in ſanguine luctus.
Optimus ille manu, melior pede Mellius, ictus
Fulminis eſſeratus, talaribus addidit alas,
Tergeque tota dedit; nedum converteret ora,
Vel leviter quæſita fugæ momenta perirent,
Præſagus fuit ille metus: nam Principis ira

Incaluit, palmáque frui non deſtitit: ultra
Campum acies, Pæno Duce cautior, intulit: arces
Deſuper intonuit, portarum & clauſtra minaci
Cuſpide tentavit: tremuerunt vulnere portæ
Attonitæ, puduitque manum invaſiſſe timentes.
Una Theon-Villæ maiore objecta paratu
Mænia perfregit, ferrátaque pondera rupit:
Ac ſuper incumbens armorum pondere cives
Terruit, & victos ſolidâ virtute ſubegit.
Senſerunt mox dulce jugum, vincliſque dederunt
Oſcula, & impreſſa fixerunt lilia fronte.
Ille domum rediјt lauro redimitus, & atram
Plorantis Patriæ ſpeciem mutavit amictu
Candidiore, manu lacrymas abſterſit, amoris
Prodigus, irarum retinens, quas juſtus in hoſtes
Urgebat dolor. Ergo iterum movet arma, triumphis
Dedita. Germanis victricia ſigna maniplis
Intulit, & largo tepefecit tela cruore.
Nec ſatis eſt viciſſe viros. Brumalia vicit
Frigora: Montanas hyemes dejecit, & alto
Monſtra infoſſa gelu. Martis reſoluta calore
Nix cecidit, Solique minus virtutis ineſſe
Credidit: Aprilem revocato & frigore ſenſit
Ante diem: tam viva calor ſibi robora ſumpſit!
Ter rapidum rutilis Germania vidit in armis
Ire per attonitas jaculantem fulmina gentes
Bellica. Bavaricæ cùm diriguere cohortes,
Ante ictus denſante metu. Veſtigia tantùm
Liberiora fugæ, ſed lenta cruore tenebant
Stagna pedes, ſtupidique lacus. Extinxerat herbas
Sanguis, & abſtulerat viridis ſpei pignus in arvis.
Suedica tum virtus Guſtavo aſſueta reluxit

Splendi-

Splendidiùs Ductore pari: mirata ferocèm
Ultra annos animum; tulerat ſic impetus illum,
Ut plumas, unguéſque Aquilis rapuiſſe putarent:
Atque adèo Auſtriacis ſolùm ſupereſſe reciſum
Brutæ molis onus. Stupuerunt cornua Rheni
Audentem, Latiæ quæ vix potuere cohortes,
Extremis patrare annis. Germanicus olli
Inferior factis, & nomine cederet: arctos
Ni gens una daret juſto pro nomine fines.
Quantus in occaſum ſe cardine fundit Eoo,
Rurſus & Auſtrali ſe limite volvit in Urſas,
Orbis & amplexu maria obtinet, æqua merenti
Vix dum ſphæra foret. Metitur ſidera Solis
Æmulus. In Belgas ardentior inde revolvit
Arma, ciet pugnas, & præmia militis ambit.
Sponte minor: ne tela vetet: ſed provocet ictus;
Officioſa ſibi ne ſit reverentia Martis,
Et commune placet bellum, & commune periclum.
Spirat adhuc vigor ille ferox, cùm denſa cohortum
Agmina bellantum, rigido conſtantia ferro,
Admoto perrupit equo, qui conſcius iræ
Seſſoris, medijs rapidus ſe immiſcuit armis.
Exitium, ſtragemque ferens: nam cluſus in ære
Brachia dura movens, hinc, inde in vulnera ferrum
Exeruit: fulgetra nitor cùm vibrat ab enſe
Luridus: impactu tonitrus cùm percutit arma
Horribilis: fulmen valido cùm vulnerat ictu.
Solus agit, verſatque hoſtes: it ſemita ferri
Sanguineis diſtincta notis: ſcintillat acumen
Ictibus incenſum, ſignum fatale Cometæ
Ire putes: ferrive audacis Orionis enſem.
Nec jam ictus: ardere ipſis incendia campis,

 Arma

Armatóſque vorare viros, uri arma, calore
Solvi acies: tanto fumant rapida arua cruore!
Funera monſtrarunt invictum hoſtilia Martem:
Vulnera mortalem docuere; invictaque virtus,
Aſt humana tamen patuit; nam facta probarunt
Sideream, ſenſúſque ultra. Ne fabula fatum
Diceret Orlandi, rurſûmque erraret Achilli.
Te tria nobilibus decorarunt vulnera ſignis,
Ut tria Sanguineo pingantur lilia rore
Gallica; quo vigeant, dum nobiliore rigantur
Sanguine. Degenerem pudeat potaſſe cruorem
Idalio de fonte roſas, color ipſe ruborem
Arguit, Heroo ſe Lilia ſanguine jactant.
Hîc ego victrices galeato in vertice lauros
Surgere, & implexas folijs illudere plumas
Aſpicio, conúmque apices jactare comantes,
Inflaríque jubas, & reddere flamine plauſum:
Scilicet expugnat fatis melioribus urbem,
Illam urbem, clavem Oceani Borealis, honorem
Battaviæ, decus Heſperiæ, nodúmque morantis
Fortunæ, molem invictam, pelagique potentem;
Æolij ſedem imperij, virtutis aſylum
Æquoreæ, Dumquerquam illam, quo nomine, quidquid
Fabula multa poteſt ſimulare, abſolvitur uno.
Hanc igitur Princeps docuit miteſcere, faſtus
Abſtulit, & collo circundare vincla coegit,
Ac mordere ſolum: fatalia mœnia pondus
Senſerunt fatale Ducis. Neptunus ab imis
Cæruleum ſtupefactus aquis caput extulit, udo
Conſpicuus ſceptro, cinctúſque undante Corona
Applicuit muris criſtallina pondera currus,
Vix oculis facturæ fidem, tetigitque tridente,

Appe-

Appoſuítque manum, dubitantia lumina tactu
Confirmare parans. Nec enim virtute putabat
Humanâ potuiſſe capi. Mox incitus æſtro
Tritones, Nympháſque jubet celebrare triumphum
Principis, & textum rubro Diadema corallo
Promit, opus Thetidis, meritæ ornamenta coronæ;
Imperiúmque maris, fratri quod ſæpe negarat
Ante Iovi, miratus opus, conceſſit habendum.
Prothea mox, reſonante tubâ Tritonis, ab imo
Exciri fundo, quò territus egerat udos
Ire greges, ventura canat qui Principis acta,
Imperat; attonitúmque jubet conſiſtere pontum.
Ille oculos torquens concepto Numinis æſtro
Pectore fæcundo, ſic ora in fata reſolvit.
Vade age, prona favent, Princeps, tibi ſydera, palmas
Accumulant: te laurus amat, maiora parantur
Bella tibi: maiora manent te præmia, faſtus
Heſperios Mavorte premes: unguéſque Leonis
Præcides gladio; celſæ faſtigia turres
Demittent, pronæque cadent, & lilia dextrâ
Accipient illata tuâ. Mox arma reduces
Victor in Italiam, Campanaque rura trophæis
Arduus explebis; mox Brutia littora Lauri
Intexes viridante toro, vicinaque coges
Culmina Trinacriæ priſco ſuccumbere juri
Gallorum. Tandémque novus Tyrinthius anguem
Inſubricum virtute premes, rictúque triſulco
Infantem eripies, puerúmque in viſcera Regem
Ire armis coges Ludovicum, & hiantia claudes
Ora manu, verteſque aliò, quâ ſemita tendit
Gallica, degeneris detorta volumina gyri.
Te Duce jura dabit dominatrix Gallia mundo,

 Arbi-

Arbitriúmque togæ, Bellique acquiret, & alto
Cuncta ſupercilio moderabitur, armaque nutu
Omnia ſuſpendet. Fortuna oblita rotatus
Imperijs immota tuis parebit, & auro
Ferrea ſecla tuo Saturnia ſidera reddent.
Tandem longa diu poſt prælia pace vigebis
Integer ætatis, famâque frueris onuſtâ
Laudibus. Heroas natos, ſed Patre minores,
Aſpicies, creſcet Series invicta nepotum,
Sed non maior Avo: tua cuncti exempla ſequentur;
Tu cunctis ſatis unus eris: virtute, labore,
Sorte ingens, nec mente minor: qui Palladis artes
Scire optet, monumenta togæ; qui munera Martis
Exercere cupit, Belli documenta ſequatur.

CHRISTINÆ SVECORVM REGINÆ CORONA.

NUnc age Calliope, non quæ Parnaſſide frontem
Inſignis lauro, vitreaſque Aganippidis undas
Prona bibis, plectroque ſonas mortale caduco:
Sed tu ſidereas inter nitidiſſima flammas
Addita pars melior Superis, quam Phœbus in orbem
Effundas radios ſinuoſæ lucis amictu
Condecoat, cui clara pedes præcingit alutâ
Luna novâ, duodena caput cui ſidera cingunt,
Tu mihi, tu ſuperis de fontibus adde liquores,
Incute vim cæleſtem animo mentique vigorem
Sidereum, calamoque tui da flaminis auram.
Viribus hic alijs opus eſt, alióque calore
Mentis opus: torpent conſuetæ ad carmina Muſæ.
Certus agit mea plectra Deus; divina reſurgit
Materies Chriſtina operis: Chriſtina nitentis

Stellæ

Stella globi, Superûmque ignis, cælíque beatæ
Deliciæ, vivum decus, atque animata voluptas:
Palmarum cumulus, laurorum victor acervus;
Regia Guſtavi ſoboles Iovis, altera Pallas
Ingenio, teloque micans armata venuſtas:
Cujus in egregio partiti fædera vultu
Mars, & Amor, commune duûm natura theatrum
Credidit os: dubites utro ſe numine jactet
Amplius! horror ineſt; pulchro ſed amabilis ore.
Arma ciet Mavors, emollit & arma Cupido;
Inque vicem terrore ferit, blanditur amore:
Ultra homines, interque Deos ſplendore coruſcat
Sidereo. Viden? ut celſum caput inſerit aſtris,
Ingrediturque polo regali accincta corona?
Sanguine quam, meritiſque ſibi natura paravit
Imperij, fatique potens. Stellatur in auro
Aſtrorum formoſa cohors; ſtant ſidera fronti
Apta: ſui puduit quod vilius extitit aurum.
Erubuere comis ſocias ſeſe addere gemmæ.
Ergò ſubornarunt pretioſis ſidera donis
In capitis crinale decus: turbata parumper
Aſtra metu; tentare faces, radióſque probare
Viſa ſuos, ſi fortè pares in tempora luces
Sufficerent, tantum capiti ſupereſſe decorem
Cernebant! Ariadna novem dedit aſtra coronæ
Iuſta putans, ſed parva tamen pro vertice tanto
Eſſe videns: hinc inde faces invitat, & urget
In vacuos properare locos. Excita repentè
Aſtra volant, movet ambitio: juvat ire coronæ
In partem, nectique comis. Iam fervet Olympus
Seditione nova; pugnant, propriúſque periclo
Invidia eſt: tantus cupidis ſeſe ignibus ardor

Inſinuat!

Inſinuat! Primus volitans Iovis Armiger alis
Stelliferis fronti committitur, atque coruſco
Lumine deridet veteres Ganymedis honores,
Furaturque ſibi Chriſtinæ à fronte decorem.
Segniùs, at niveæ modulato examine plumæ,
Lactea quâ ſeſe pandit via, Cycnus in orbem
Convolat aſtriferum, pennataque ſidera jungit
Fulmineis Aquilæ, nectitque in mutua lucis
Fœdera crinitæ, miſcetque nivalibus aſtris
Purpureos ignes, & candida colla retorquet.
Nec piger accurrit piſcoſo ſidere Delphin:
Poſt Cycnum citus ille venit, ſtelláſque natatu
Dividit inſolito, quò ſe ferat ocyus; ardet
Igne novo, detrectat onus puerile, triumphum
Reginæ de fronte cupit. De ſaltibus Vrſæ
Se geminæ ſaltu ejiciunt cæleſtibus, orbi
Agglomerant rutilo diadematis. Altera maior
Subtraxit radios Helice, Cynoſura coruſcet
Ne tenui ſub luce minor: ſic lumina jungunt,
Reginæ ut niteant æquatæ fronte Sorores.
Pegaſus inde alis fulgentibus evolat, actus
In gyros, nitidéſque vomens è naribus ignes,
Quadrupedante ciet ſtellantia cærula curſu,
Eructátque faces, & fræna micantia mandit;
Inſiſtitque apici, quâ limite clauſa corona
Stat duplici, ſurgitque toro maiore. Coruſcus
Fertur equo Perſeus, cælúmque umbone fatigat
Stellifero, radians armis; colloque Meduſæ
Iam meliore nitet: crinalia ſidera jactat,
Incenſáſque comas, ſtrictúmque Orionis enſem,
Vulnera congeminans, redditque tot aſtra, quot ictus.
Hæ coiere faces in munera digna Coronæ.

Nec caput obruitur Chriſtinæ hoc pondere, ſætum
Numine palmato ſursùm ſe attollit, & altè
Exuperat cœlum: tum cætera turba micantum
Aſtrorum vocat in ſolium: ſuper ipſa ſedere
Sidera Chriſtinam Superis placet. Aurea ſubdit
Caſſiopæa faces: ſtellantia plauſtra Triones
Subjiciunt, ſtellantem Argo ambitioſa carinam
Curvat in obſequium, ſoliúmque inſigne reſurgit.
Stipat utrumque latus geminato lumine ſidus
Tyndaridum. non jam occiduum, non fædere mortis
Alternæ varium, ſolidâ ſed luce beatum,
Extra Helenam, fatique omen. Si vertere malis
In currum ſolium, & puro diſcurrere cælo,
Quadrijugum reddunt Aries, Taurúſque, Leóque,
Et Caper inſignes ſtellis; hi colla remittunt
Prona jugo, junguntque faces: dant aurea Zonæ
Fræna, nec aurigæ detrectat munia Phæbus
Vivo ſole minor: tanta eſt reverentia frontis
Chriſtinæ! ſpecie attonitus defecit Apollo
In ſtellam, timuitque diem, veneratus euntem eſt;
Nam vera inceſſu patuit Dea. Macta Virago
Fama ingens, factis ingentior, æmula Divûm,
Ingenio Phænix, pietate inſignis, & armis
Egregia. O quantum roſeo decus enitet ore!
Sidereis vis quanta oculis! quæ gratia fronti!
Quanta ſupercilijs ſeſe imperioſa refundit
Majeſtas, quorum arbitrio ſuſpenditur orbis!
Gloria quanta genis! decus unde Aurora roſarum
Ebibit: ó quantis ignescunt labra pyropis!
It cælo facies, ſuperáſque in prælia poſcit
Juſta Deas: coiere omnes; nam bella recuſant
Diviſæ; Chriſtina ſatis manet omnibus una,

Nec timet, adverſáſque vocat. Venus aurea contra
Prima venit, ſubit hinc Pallas, ſubit inde Diana;
Regia poſtremùm Iuno adfuit: advocat omne
Quæque decus. Minor, Idæi cum vertice montis
Certarunt, ſibi cura fuit: nam pugna Dearum
Tota fuit, ceſſura Deæ quæ victa fuiſſet.
Nec magnum ex illo victæ fore dedecus. At nunc
Mortali certare Deas; nec numine vinci
Numen, at humana ſuperari à Virgine: quantum
Inde ſibi labis, quantúmque in labe pudoris!
Dedecus exagitat: tantùm Chriſtina timetur;
Ut cùm aliàs auſæ ſolæ ſe credere campo,
Et ſecum certare Deæ, & confidere formæ
Quæque ſuæ, nec noſſe parem; ſatis una videtur,
Unde ſibi timeant Chriſtinæ occurrere ternæ.
Nec ternas ſatis eſſe putant, quartámque Dianam
Adſciſcunt bello ſociam, comitémque periclo:
Et conjurato ſolam ſtant agmine contra
Chriſtinam. Sedet hinc Mavors, ſedet inde Cupido,
Queis bellum ſpectare datum, & componere litem
Iudicio. Fulſere omnes: hinc quattuor, una
Inde impar numero, ſed dotibus aucta reſiſtit.
Ambroſias reſoluta comas Venus aurea primùm
Conſtitit, & totum decus advocat; addit & ultra
Artis opem: flagrare genas, ſplendeſcere cernas
Lumina, fronte nives albeſcere; nigra per arcus
Ire ſupercilij geminatæ cornua Lunæ.
Ictus ab aſpectu, detrectans munia Mavors
Iudicis, exarſit, fierique optavit adulter.
Aſperior Pallas ſeſe obtulit; odit amorum
Mollitiem, rigidi affectat decus oris, ab ira
Pulchrior exiſtit, tenet Ægida, fulminat haſta,

Caſſide terribilis, non nectare diffluit; ardet
Pulvere ſulphureo, generoſo incenditur igni,
Digna Iovis cerebro, Martem inter, & inter Amorem,
Sed propior Marti. Nec ſe minor ore Diana
Virgo refert, habitum referens, atque arma Lacænæ
Virginis: ex humero ſonat arcus, & aurea collo
Dependet pharetra, & nudo ſe poplite vivum
Iactat ebur, veſtes tum diſſipat aura fluentes.
Vera ſoror Phœbi, fraternum lumen in ora
Provocat, illa placet lux maſcula, mollia ſexus
Munera detrectat, ſylváſque intenta fatigat,
Virgo agnata feris, atque indignatur amari.
Regia ſe tandem ſublimi vertice Iuno
Erigit, inſignis ſceptro, fulgenſque coronâ,
Majeſtate nitens, ſuſpendit nutibus aſtra.
Ius dicit, legéſque jubet, formâque ſuperbit
Imperioſa gravi, quæ ſit vicina timori,
Ut ſibi majeſtas ſit grata, timenda venuſtas.
Nec cunctata diu Chriſtina apparuit: undant
Circum illam radij, glomerantur lumina, cælum
Poſt ſeſe trahit attonitum; mirantur euntem
Numina, deficiúntque animis: inſtárque Dearum
Ardua cunctarum decus haurit, & omnibus una
Imminet; & Venerem pulchro formoſior ore
Exanimat: viſa eſt Venerem fugiſſe venuſtas,
Nec matrem cognovit Amor, mavúltque parentem
Chriſtinam: ſed virgo negat, ſe faſſa ſororem,
Si velit in flammas innoxius ire Cupido.
Pallada pallor habet conſpecta virgine; maius
Numen ineſſe videt: divinum ex ore vigorem
Conjicit; & flatu bellaci impellitur: unus
Halitus exanimat Chriſtinæ Pallada, retro

In

In præceps rueret, ni fortè incumberet haſtæ.
Tutior it Diana fugâ; pudor addidit alas,
Et dolor: invidiæ ſtimulis agitatur amaris.
Nec patitur coràm decoris diſpendia: mavult
In latebras condi, nemorumque horrentibus umbris.
Exuit arma, feras fugiens imitatur: euntem
Qui videat, timidam damam putet eſſe Dianam.
Vna ſui compos tenuit veſtigia Iuno,
Et ſtetit admirans Chriſtinam. Regia virtus
Comprimit invidiæ ſtimulos, & vera fateri
Cogit: vt inferiùs poſitam ſe vidit, & ultra
Ire Deas numen Chriſtinæ, ſceptra, coronámque
Abjiciens, poſito regali è pectore faſtu
Succumbit diffiſa ſibi. Venus inde ſecuta,
Et Pallas, revocántque una tres voce Dianam,
Quæ rediijt; circúmque omnes cinxere coronâ
Chriſtinam: ſuper una Deas it celſior omnes.
Iuno dedit ſceptrum, dedit & diadema; Diana
Tela, arcum, pharetram; Pallas dedit Ægida, & haſtam;
Poma, roſáſque Venus. Satis hæc inſignibus una
Tot fuit! Effulſit Iuno, micuítque Diana,
Enituit Pallas, riſit Venus. Vnica plures
Conſumptura Deas, ſi Numina plura fuiſſent.

ROMA CHRISTINÆ SVECORVM REGINÆ.

Illa ego, ſepteno quæ ſidera vertice pulſo,
Imperij Caput Auguſtum; quæ jura per orbem
Omnibus una dedi, bellique, & pacis amico
Fœdere continui populos, juſtiſque coegi
Legibus, officium ſervare: artémque regendi
Compoſui mixtam pietate, ac viribus, auſa
Debellare feros, & parcere docta modeſtis.
Te Chriſtina libens venientem pectore toto
Excipio, & gnatam materno amplector amore.
Ingredere, ó noſtros Regina Auguſta Penates,
Hîc domus, hîc patria eſt: quanquam te ſponte coronâ,
Et ſceptro, & ſolio privaſti, armíſque paternis,
Regnabis tamen, & juſto potieris honore,
Quem peperit virtus, quæ jure potentior omni
Sceptrorum: antiqua de majeſtate remittes,
Quod Chriſtina voles: ſed enim reverentia maior,

Maior

Maior erit cultus: poſitis inſignibus auges
Obſequia; & quantum de lumine demis avito,
Tantum addis de luce nova; privata refulges
Clarior; una tibi ſatis es. Tu ſola theatrum
Romanum virtute imples, exuta colorem
Externum, & fucos, proprio formoſa decore,
Et ſolido venies placitura: inſignia temnis
Fortunæ varia, & nulli non credula vento.
Hæc donátque, aufértque dies, caſúſque gubernat
Fortuitò, citra meritum, nec jura requirit,
Nec legem, arbitrio committens præmia ſortis.
At tibi cæleſtes curæ, & divina recurrunt
Conſilia, æternæ ſubeunt documenta ſalutis,
Quæ mentem erudiant, præclaraque lumina fundant,
Demonſtrentque viam, quâ Chriſtus ad aſtra tetendit,
Cujus & in terris veſtigia certa reliquit.
Non hæc delicijs conſtrata, auróve relucet,
Argentóve nitet, gemmíſve ornatur, & amplum
Effuſa in ſpatium roſeis ſe florida pratis
Porrigit; anguſto ſed contra limite, vepres
Inter, & horrentes ſe colligit aſpera dumos.
Hanc magnæ tenuere animæ, quæ ſanguine Chriſti
Effuſo ſanxere Fidem: laniata videbis
Membra, artus laceros, truncátaque colla, reciſa
Ex humeris capita, & jugulata cadavera volvi.
Martyrij variæ ſpecies: quas multa ſequuntur
Pænarum genera, & blandi monumenta doloris,
Inſontéſque cruces, queis cætera turba Fidelis
Se punit, corpúſque domat: ſtant ſanguine flagra
Purpurea, hirſuſtis criſpantur cingula ſetis,
Dumorúmque ſeges ſtimulis horreſcit acutis.
Mitto ea, privatos quæ quiſque arceſſit in uſus,

Exer-

Exercétque domi; jejunia longa, labores
Prolixos, manuúmque operas, pulſúſque frequentes
Pectoris, & lachrymas, mæſti & ſuſpiria cordis,
njectos capiti cineres, fixa oſcula terræ.
Hæc non ante tibi fuerant comperta moranti
Hæreticos inter Chriſtina, quòd impia ludos
Gens facit has pænas, odióque inceſſit acerbo
Quod dolet, & pungit: ſequitur mollіſſima, ſumit
Dulcia, delicias & vendicat: una probatur
Quæ referat ſenſus per gaudia mille voluptas.
At poſtquam Fidei doctrinam amplexa, repente
Luce tibi patuere novâ, moreſque reperti
Doctrinæ ſimiles, quos priſca Eccleſia natos
Edocuit cum lacte ſuos, ſervátque Latina
Relligio, Patres tenuere, his plena vetuſtas
Exemplis, ſervamus adhuc quibus alma refulſit
Lux Fidei, primis dictata Parentibus, Ætas
Aurea deduxit ſerie currente per annos,
Tradidit inque manus veneranda nepotibus. Hæc tu
Aſpice Regina, & veterum ſpirare videbis
Effigies: nec te pudeat ſprevіſſe coronam,
Et regni decus auguſtum: cæleſtia verſa
Sidera, & æternas animo complectere lauros,
Et superúm regnum meditare, ubi Chriſtus in ævum
Imperat, & meritos virtutibus addit honores.
Illius haud regnum eſt de mundo; his finibus arctis
Non capitur: rerum metas, & temporis annos
Excludit, mortémquê ultra, ſortémque ſenectæ
Tenditur: huc te Chriſtina vocant ingentia fata;
Latiùs in ſuperis regnabis, & altiùs: ire
Sub pedibus nubes, & ſidera celſa videbis.
Huc tu olim victrix Erebi, ſpolijſque Tyranni

Tartarei gravis aſcendes, & ſigna locabis
Sacra manu, quæ rapta geris de gente Lutheri
Digna triumphatrix, Fideíque augebis honores.
Hic palmam accipies, ſtatueſque invicta trophæum,
Et propè conſides ſolio ſtellante: coronam
Aſtra dabunt, dabit & plantis ſandalia Luna,
Purpura de Solis radijs contexta rubebit,
Et clamabit Io feſtivis vocibus æther.

DELICIÆ TIBVRTINÆ EMINENTISSIMI CARDINALIS SPADA.

PHæbe tuam mihi redde chelyn, quæ Tibure dig-(num
Concipiat, cieatq; melos, ubi carmina Cygni
Romulei toties vitreas Anienis ad undas
Divino fudere ſono: da conſona plectris
Plectra, pareſque fides. Sunt Cæſia tecta canoris
Emodulanda modis, veteres æquantia faſtus,
Romanumque decus. Prope mænia Tiburis, Arces
Quâ ſeſe attollunt, parte interiore reſurgit
Ambitioſa Domus: vaſto ſpatiata receſſu
Vix reliquas dignata domos: hanc Cæſia quondam
Gens poſuit, quæ digna foret ſplendore vetuſti
Nominis, & priſcæ retineret ſtemmata Gentis
Cæſareæ, trahit unde ſuum ſtirps Cæſia nomen.
Nec factis, nec honore minor. Decora alta coruſcant
Armorum, ſignantque Duces, virtute coronam

Qui capiti peperere ſuo, juſtóque potiti
Imperio, titulóque Ducum. Nec Martia tantùm
Gloria; Purpureo rutilum decus ardet amictu:
Commendatque togam: Romano fulget in oſtro
Cardineoſque Patres rubro fulgore figurat.
Hanc nunc ille Decus Latij, Lux alma Senatus
Purpurei, Romæ Urbis amor, columenque Minervæ,
Mæcenas vatum, vates ſimul ipſe, Latini
Eloquij Princeps, ſpecie venerabilis, ille
Spada colit, decoratque colens. Dux Cæſius ultro
Tecta habitanda dedit, ceu conſcius eſſet honoris
Venturi, quem Spada refert pro munere, grato
Fædêre condecorans juſtis ſplendoribus Ædes.
Huc me Muſa vocat: nam primo à limine verſus
Hinc, atque inde trahunt. Duo ſunt Epigrammata Magnæ
Mentis opus, quæ numen habent: hæc nectare Phœbus
Condit, & Ambroſiæ perfudit carmina ſucco.
Digna manus Spadæ: non fulmine dextra rubeſcit,
Sed calamo recreat, verſuſque in ſidera fingit.
Quot tu ſigna notes, tot conſcius aſtra notabis.
Aptus ineſt ſenſus, numerus fluit aureus, illis
Spada Domum decorat, Muſaſque in tecta reducit.
Atria mox ſeſe latè expatiantia fûndunt,
Et gremio accipiunt venientes. Obvijus ultro
Provocat Alcides, mutoque in marmore vivit,
Et vocat intrantes: melior ſed verſibus inſtat
Papinius, Sylvamque offert, qua numine plenus
Deſcripſit quondam Tibur glaciale Vopiſci.
Hanc monſtrat paries deſcriptus, & agmine longo
Carmina ſcripta notis ingentibus omnia complent
Lumina, tam pulchro capiuntur carmine ſenſus!
Scala gradus aperit, ſuperaſque invitat in ædes.

O quam

O quam grata Domus! rapiunt quæ gaudia mentem
Ambiguam! quæ prima legam? quo lumina ſundam?
Cuncta placent: coit in vaſtos Urbs tota Penates
Tranſverſis, rectiſque vijs: aulæque pateſcunt,
Ceu fora: mox aliæ ſpatijs brevioribus ædes,
Ceu plateæ nectunt aulas, aliaſque remittunt
In ſedes: portam porta excipit, apta viarum
It ſeries, aperitque domos; jam tramite recto
Incedit, jamque obliquo ſinuata recurſat
Expediens, miſcenſque gradus: Mæander inerrat
Intus, & error ineſt, tamen eſt remeabilis error,
Et gratus. Iuvat ire, vocat quò pergula, ducit
Fuſa per immenſas diſtinctis ſedibus ædes.
Ad caput inſiſto, rectoque per omnia ductu
Lumina conjicio, patet integra ſemita longo
Proſpectu, laſſatque oculos: vix lumina ſinem
Inveniunt: tanto via conditur apta receſſu'
Illa rapit ſpecies, vbi menſa oblonga paratu
Magnifico ſacrata epulis: hinc porta videri
Recta Urbis, campique ſolent: hinc regia in Vrbem
Qua via deducit, videas intrantia portis
Agmina, mox iterum videas redeuntia campis.
Gratior ad lævum latus eſt aſpectus ab aula,
Obliquos oculos eadem ſi ſede revolvas
In nemus umbriferum, quod ductum à parte ſiniſtra
Funditur immenſum, viſúmque ad culmina profert
Perpetuum montana, ſuper quæ tecta videntur
Ire, ubi ſylva comas, & brachia ponit: in unum
Quæ diſtant coïſſe putes: tam proxima viſus
Efficit; ingenti quæ ſunt diſtantia tractu,
Hæc unâ tu ſede ſedens conjuncta videbis.
Adde hortos, atque adde viam, quæ dividit ædes,

A nemore incedens medio, quæ ducta pateſcit
Ante fores horti, populumque inducit in Vrbem.
Me revoco; nam pene oculos, ſylvaſque ſequebar
Immemor ipſe loci: ſpecies ò grata domorum!
Conſpicuuſque decor! Splendent laquearia, tectum
Fulgor obit, paries pretioſa tapetia pandit.
Quid memorem lectos, pluteos, triclinia, menſas,
Quæ Domino vacuata ſuo fulgore renident
Inſolito, mentéſque trahunt, oculóſque laceſſunt.
Argumentum ingens, quanto ſplendore coruſcent
Limina, cùm Domino rurſus præſente fruantur.
Eſt hic grata quies, laxant ubi ſeria ludi,
Oblectantque animos, curaſque in gaudia vertunt.
Imo & luſus adeſt. Media procurrit in aula
Menſa oblonga ſitu, quam lignea labra coronant
Turriculis diſtincta ſuis, ceu mænia portis
Diſpoſitis: medius panni velatur amictu
Alveus, atque globos ad ludum admittit eburnos;
Ænea meta vocat, quæ ſummâ in parte reſedit.
Altior hic primus ſeſe eminus ingerit ictus:
Mox læves miſcent certamina ludicra conti,
Exercentque globos: vincit, qui tramite certo
Attingit metam; globulum vel vulnere conti
Percutit, atque foras per aperta foramina mittit.
Hæc ſunt facta oculis; animo maiora ſuperſunt
Gaudia, quæ Phœbi veniunt de numine verſus
Egregij, mira quos Spada excogitat arte,
Egregius labor, & ſtudium mirabile: cernas
Præcipuis monumenta locis, fabricata labore
Artificum, tabularum inſtar, quæ carmina vatum
Exhibeant veterum Tibur ſpectantia, & arua
Tiburis antiqui priſcam renovantia famam.

Cuique

Cuique ſuus ſervatur honos: hic Muſa Maronis
Celſa ſonat, redditque vicem laſciva Catulli;
Ovidijque ferax, Flacci teres, apta Properti,
Atque gravis Silij: ſequitur pars maxima cantùs
Papinij, Socium ſe gloria Bilbilis addit.
Miſcet Spada ſonos, non inferiora ſecutus;
Vnus & harmoniam divino carmine complet.
Hæc me Scripta beant, memori nam mente revolvo,
Quanta olim fuerint encomia Tiburis; ardet
Pectus amore loci: renovant incendia verſus:
Phæbus amat prodire foras, & cernere Sylvam
Vmbriferam, ſeptumque nemus: ſtant robora longo
Suſpectu, nectuntque comas, gremioque volucres
Excipiunt, hilares reſonant per frondea cantus
Germina; dum latè pertexta virentia pergo,
Deſinit ad muros ubi ſylva, & gratus in omnes
Funditur aſpectus campos, monteſque fatigat,
Et ſequitur: quàm pulchra patent ſpectacula! viſus
Tendit in immenſum, concordi fœdere miſcet
Prata, nemus, colles, vineta & flumen, olivas,
Strata viæ, partemque Vrbis, delubra, Penates.
O dilecte Deo Spada inclyte! tanta voluptas
Cui datur, vt brevibus poſſis includere tectis
Delicias, quas Tibur alit, Floræque potiri
Muneribus, Phæbique frui, doctæque Minervæ
Fructibus! auſpicijs agita felicibus ævum,
Tibur ama, cultoſque locos, ubi ſidera lucent
Puriùs; hîc longos dabitur tibi vivere ſoles:
Longiùs excurrent aſtris melioribus anni.

ILLVSTRISSIMO

D. D.

PETRO VIEIRÆ SYLVIO

REGIJ ORDINIS EQVITI, REGIJ Senatus Conſiliario, Regni ſtatus Regio, ſummóque Secretario.

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

NATALES Sereniſſimi Infantis Petri Genethliaco Carmine deſcribenti: & Sereniſſimo Principi Theodoſio Natalitia dedicanti: neceſſe fuit in hoc ſiderum affluxu, concurſúque luminum umbram quærere: ut minùs in tantis caloribus æſtuarem. Sylvam tuam nactus ingentis voti compos ſui. Ea enim non modò *Conſule digna*: Sed

&

& Regibus. Quorum, ut in omnes Orbis partes cum Sole funditur imperium: ita Sylvæ tuæ ſequax umbra protenditur. Tu Vniverſi Regni Luſitaniæ, intra quod Sol orbem ſuum conficit, ſumma omnia tum Pacis, tum Belli, adminiſtras: ut nihil Regia mens aut inchoet, aut perficiat, cujus tu non ſis particeps, conſcius, & effector. Quare non inter Manes umbra iſthæc tua verſatur: ſed in ſuperis Animæ inſtar & Intelligentiæ habitat: cujus quemadmodum impulſu cietur Cœlum: ita & tuo conſilio & opera Regnum gubernatur. Et vero non adumbras Sylva, ô clariſſime! Intelligentiam: exprimis. Vt mihi quæ in Luſitanam Rempublicam officia præſtas exactè pendenti, non unus mortalis è noſtris, ſed quidam è ſuperis ad nos à Deo miſſus Aliger videaris. Quanta tua, quamque ſpectata in Regem Fides! Quæ obſervantia! Qui cultus! ut propè Religionem obſequium ſit. Quantus in Regiam familiam amor! ut cum ſis optimus Pater Familiâs, in Regia, Patris ſolo amore retento, Domeſtici gnavi, & induſtrij partes agas. Quanta in Patriam, civéſque Charitas! ut non aliter in Regno cum popularibus, quàm domi cum Filijs verſeris. Quæ perſpicacia? Quæ vigilantia? Quæ ſolicitudo? Quæ induſtria? Quæ felicitas? in perſpiciendis, in ſuſcipiendis, in explicandis, in agendis, in conficiendis negotijs? ut vix ea meliùs ſpiritus quidam liber à concretione mortali, & fortunatiùs expediret. Nullâ vero re magis te intelligentiam probas, quàm integritate, cum tam ſis à cupidate alienus, ut non magis tibi Regnum adminiſtranti, quicquam corruptelæ, quàm Ange-

Angelo moventi Cœlum hærere poſſit. Debet ali- quid incorrupto animo tuo Cupiditas: nam quæ pe- ſtis opinionem contraxerat, quòd te nullâ ratione potuit arripere, contagij infamiam excuſſit. Mul- tò verò magis tibi devincta eſt Gratia, quòd cum ſis Regi gratioſus, neminis tibi confles invidiam. Tua te virtus Regi gratum, civibus amabilem reddidit. Nec enim quæ geris munera, tibi vendicas, ſed in populum refundis. Laus eſt tua, non ad privatas, ſed publicas ſtudia & officia rationes referre. Vna hæc tibi placent, quæ Reipubl. proſunt. Non jus in arbitrio tuo, ſed tu in arbitrio juris es. Scopus illud tuus. Eó collimas: quin aberres. Olim vin- dex & victima Pontificij: cùm ei Regiorum Mini- ſtrorum licentia detrahebat: nunc, cum illi Regium conſentit, aſſertor es Regij. Miniſter inventus es unus: quem ſibi & Pontificia, & Regia poteſtas ex æquo Arbitrum quærerent. Nec ſibi admodum la- borandum putant, quid ſtatuendum ſit, cùm id ſe- quendum, quod tu ſtatuas. Ne Momus quidem vel intentiſſimus in te nævum deprehenderit. Qui te novit, is præjudicium Regis noſtri vehementer pro- bavit, cùm vidit à quo tu in partem curarum aſſump- tus fueris, ab eo non niſi optimos eligendos. Nec ego Regem Regnúmque te adminiſtro dubitem be- atum fore. Quorum ego uti nullum finem amandi facio; ita nullam exornandi occaſionem prætermit- to. Meminiſſe tui, officij mei eſſe duxi, quòd tu ad ornamenta Regiæ familiæ pertineas. Cùm vero Aſtra omnia è Cœlo canendo deduxerim: ut Cunabu- la Sereniſſimi Infantis felicitarem, & ad id ipſum Or-

bes

bes Cœleſtes excuſſerim; non potui non te Cœleſtis inſtar Intelligentiæ, qui tot ſidera regeres, adhibere. Vale.

Tuus, Fr. FRANCISCVS A S. AVGVSTINO MACEDO.

SERENI-

SERENISSIMO

D. D. D.

THEODOSIO PRINCIPI PORTVGALLIÆ

DEI DONO: DEI GLORIÆ:
Superûm Curæ: Paradiſi Typo: Cœli
Pignori: Parentum Delicijs: Regni
Decori: Patriæ Amori.

OCello Reipub. Corculo Luſitaniæ: Deſideriorum Scopo: Cumulo precum: Summæ votorum. Officiorum Compendio. Gratiæ Theſauro.

Virtutis: Pietatis: Sapientiæ: Religionis: Magnificentiæ: Iuſtitiæ: Integritatis: Moderationis: Magnanimitatis: Fortitudinis Speculo.

Ingenio acuto: acri: vivido: mente celeri: promptâ: expeditâ: Indole excelsâ: præclarâ: generosâ: Animo magno: erecto: conſtanti: invicto: capaci.

Glorioſa

Glorioſa meditanti: Summa conanti: aſpera temnenti: honeſta ſuſcipienti: abjecta detrectanti: ad ardua enitenti.

Ad Sublimia: Supera: Immortalia anhelanti: Olympum affectanti.

Flori hujus ætatis. Spei adoleſcenti: Expectationi creſcenti, ad ornamentum ævi: ad famam rerum: ad gloriam nominis.

Ob lineamenta Alexandri Magni, & Iulij Cæſaris ducta in facie:

Ob notas Magni Pompeij, & Scipionis Africani deprehenſas in vultu:

Ob viva ſigna Alphonſi Henrici: Sancij. I. Alphonſi III. Dionyſij: Alphonſi IV. ſpirantia in ore.

Ob expreſſam Petri: Ioannis I. Emmanuelis Regum; Alphonſi: Ioannis: Iaymij: Theodoſij, Ferdinandi Ducum Regijs virtutibus Imaginem.

Ob indiſcretam cum Auguſto Rege Ioanne, & Auguſta Regina Ludovica Parentibus dotium animi & corporis ſimilitudinem.

Decurſo in Minervæ ſtadio humaniorum litterarum curriculo: in Mathematico pulvere Cælo emenſo: Aſtris deſcriptis: Sideribus notatis.

In tabula Geographica, delineato mari: circumſcriptâ terrâ: ventorum flatibus deprenſis, ſignatis.

In militari Palæſtra gladiatorijs numeris exploratis: retentis: Poliorceticis operibus agnitis: comprehenſis: formatis.

Caſtrametatione cogitatione conceptâ: Circumvallatione mente ductâ: inſtruendæ aciei formis: figuris: modíſque compertis.

Tormentariâ ratione perſpectâ: examinatâ: ad uſum perductâ. Conſump-

Conſumptis intra prætextam Sagi, Togæque, imò & Laticlavij & Paludamenti ſtudijs: Mente Senatoriâ:
Prætoriâ integritate: Cenſorio ſupercilio:
Iudicio Conſulari.
In Corpore Prætextato.
In tenerâ ætate: Nondum tertio exacto luſtro: virtutum Orbe confecto.
Encyclopædiâ terminatâ.
Oculis vitia increpantibus: Fronte morum corruptelam damnante: Vultu peccata corrigente: Supercilio licentiam comprimente.
Omnes in officio Maieſtate Regij oris continente.
Gratiâ collectâ: invidiâ ſuperatâ: opinione conciliatâ: exiſtimatione concitatâ: admiratione injectâ.
Iam nunc ultra ætatem magno: breui ſuprà fortunam, præter ſortem, mente manúque Maximo Futuro.
Recens nati Infantis Petri: Domeſtico Aſtro:
Principi ſuo.

SERENISSIMI PRINCIPIS D. D. PETRI INFANTIS PORTVGALLIÆ RECENS NATI

CARMEN GENETHLIACVM.

QVis pudor, ô Muſæ, decus haurit? & ora rubore
Inficit inſolito? Quo preſſa licentia freno?
Quis numeros ultrà vos alligat? ire negatur
Vlterius, fertíſque aditu cogente repulſam.
Nunc primùm damnata cohors: votíſque precantum
Viſa minor; tantíſque adeò ſolennibus impar.
Scilicet illa, fremens queis ſe Urbs impendit Ulyſſis,
Illa recens nati cunabula Principis, illa

Regifici ſors clara thori, partúſque beati
Gaudia, magnarum promiſſa exordia rerum
Maiori ſunt digna choro: procul ite ſorores,
Vulgares auferte Lyras. Deſcendere cerno
Siderea de parte Chelyn: dant certa canoras
Aſtra fides: pulſátque Deum ſe faſſus Apollo
Plectra manu, cantúſque vocat: dat vocis acutum
Virgo Diana ſonum: ſummum Venus aurea: Mavors,
Mercurius, medios adhibent: graviora remittit
Murmura Saturnus: ſceptro ſtat Iuppiter alto,
Vocibus indicens numeros, numeríſque ſonores.
Stat propiùs conſerre gradus: & cingere cunas
Agmine ſtelliferro: coeunt formoſa benigni
Aſtra oris, quæ pura metus, quæ mitia viſu,
Quæ pulſo terrore placent: metuenda faceſſunt
Sidera, quæ triſti maculant formidine cœlum,
Deformántque faces, mixtóque horrore coruſcant:
Ne pueri attentent oculos. Ariadna coronam
Explicat in ſtellas, radios effuſa comantes.
Caſſiopeia faces glomerat, ſólióque coruſcat
Sidereo: nitidos ſe Palladis inter honores
Andromeda oſtentans, ultricia Numina ridet.
Pegaſus alatis ſeſe igneus incitat Aſtris,
Pro ſpumis jacit ore faces: & calce fatigat
Sidera, flammiferámque ciet pro puluere nubem:
Seſſorémque vocat naſcentem in terga, laceſſit
Acer onus, curſúſque parat laſcivus inanes.
Parte aliâ ſinibus navis ſtellantibus Argo
Cæruleum radit pelagus: ſtant ſidera velis,
Stant clavo, ſtelláſque premit jam ſtella carina,
Tota loquax puero ſtellata oracula reddit.
Hic canit haud veritus ſua carmina Cygnus, & aſtris

Irſitus,

Inſitus, irridet mendacia crimina cantus:
Immortale ſonans: cunabula Principis ambit,
Solvit olorinam viva in modulamina vocem.
Clarior hîc rutili deſuetus fulminis Ales
Incubat, inque novo fixus Ganimede, laborat
Ambiguus, reddátne Iovi? ſuperiſque remittat?
An linquat, rapiátque Iovem, reddátque puello?
Cui Iove maior honos: Cæleſtibus Ara refulget
Luminibus, poſcítque ſibi, pondúſque fatetur
Numinis, aſſignátque locum, quo denſiùs ardent
Sidera, & illuſtres glomerant incendia flammæ.
Exilit hîc avidus ſtimulante cupidine Delphin,
Et niſu maiore natat, patitúrque calores
Inſolitos: novus ignis adeſt, flammæque tenetur
Ambitione novæ, priſcos jam damnat alumnos,
Quos tulit, incuſátque fretum, prolémque marinam,
Cùm mortalis erat: nunc verſus in aſtra minorem
Detrectat flammam, & veteres deſpumat amores.
Hic puer eſt genuinus amor, qui digniùs urat,
Flammet amore pari, facibúſque incendat honeſtis:
Hoc juſtum fuerit, dorſo nec inutile pondus.
Hîc Lepus: hîc Crater: ſtellantia ſigna Bootis
Aſſociant: reliquis metus abſtinet: horreat Aſtra
Ne puer. At Perſeus medio ſeſe æquore Cœli
Objiciens, clamat: nullâ feritate teneri
Sidera: quæ ſpecie terrent, ea mitia fato
Eſſe, ſuum cuicumque decus, ſua dona. Puellum
Omnia circundent: ſi quæ ſunt horrida, forment
Aſtra ſatellitium, & cunas ſtatione coronent.
Tum clypeum ſtellantem aperit, totúmque coruſco
Cœlum umbone ferit, peſtéſque exterminat omnes.
Extulit Alcides ſtellatam in vulnera clavam,

 Excu-

Excuſſitque ignes, Erebi portenta faceſſant
Imperat. Enſe ferox ſplendenti accurrit Orion,
Et rotat. Ire faces nitido mucrone videres,
Et geminas ardere acies: ſic pronus in ictus
Excubat ad cunas: ceu quondam nobilis Horti
Effulſit gladio Cherubinus ad oſtia cuſtos.
Mox geminas ſociare canes cunabula cernas
Inſtar adulantum, ſtellatáque verbera caudæ,
Et colli vibrare toros, plauſúſque ciere:
Rurſus & erecto conſurgere corpore, & omnes
Explorare auras; ſi quis novus advenit hoſpes,
Latratu ſtellante petunt, prodúntque doloſos,
Si quis forte velit cunas accedere, greſſus.
Monſtroſos hic Scylla canes, udóſque refutet
Latratus: cedátque Aris Ægyptia peſtis,
Numen inane, lues ſuperûm, latrator Anubis.
Nec metus, ut rabido furat igne Canicula; ponit
Hîc rabiem, ſervátque modum: convertet in hoſtem,
Quod nocet, ambigui diſcrimina ſentiet Aſtri.
Nunc viſæ primùm æthereis è ſaltibus Urſæ
Prodere ſe geminæ: ſcintillavere, coruſco
Cùm ſaltu preſſere polum, denſúmque favillis
It nemus: ardentes Helice ſibi detrahit ignes
Officioſa, minor ne ſit Cynoſura ſorore:
Provocat hæc radios, augétque ex arte nitores,
Ne multum de luce ſoror ſibi demat, amori
Reddit amore vices, par vtraque fulget, & ardet:
Sollicitant cunas, tenerúmque allambere fœtum,
Et formare parant; ſed digna modeſtia frenat.
Mox audent: meminere lupæ: quæ ſola gemellos
Suſcipit, & Martis natos, Romæque parentes,
Cui licuit geminos nutrire, & lambere lingua,

Et Iambi: cùm faſſa lupam, nullóque valeret
Numine, nec ſedem ſuperis meruiſſet in aſtris.
Illæ unum geminæ cupiunt nutrire puellum,
Ambæ ignes, flammæque ambæ, duo ſidera, numen
Vtraque, pars cæli melior, ſibi jure licere
Exclamant: fœtum nutrire, & ſingere linguâ
Sidereâ corpus, cælique afflare favores.
Deluſit ſed vota Venus: prior illa venuſtum
Formavit puerum, propriæque impreſſit honorem
Frontis, & exhauſit totum decus: unde Cupido
Æſtuet invidiâ, ſolóque triumphet in arcu.
Iam pharetræ, telíſque timens; ne fortè puellus
Auferat, imponátque ſibi; nam reddet Amoris
Numen, & igneſcent meliore Cupidine gentes,
Ac tandem pueri cupidus ſit & ipſe Cupido.
Applicat ambroſijs Charites Venus alma ſorores
Vberibus, nec lactis egent, quæ nectare turgent:
Hoc puerum nutrire parant: quin lactea currunt
Sidera: Iunonis quondam benè nata papillis.
Sed vetuit prodire Venus, numénque ſuperbum
Horruit, infeſtúmque ſuis: quin deſpicit Urſas,
Nec patitur formare decus, junctáſque Draconi,
Serpentìque jubet ſtellanti accedere plauſtro,
Subdere colla jugo, ſimiléſque venire jugales.
Pleïadas, Hyadáſque vocat, non imbribus atris
Horrificas, liquido Cæli ſed rore madentes,
Purpureis quem prima roſis Aurora remittit,
Et Floræ commendat opus, cornúque virentis
Fœtat Amaltheæ, Pomonæque aurea ditat
Germina, concurrunt pariter, floréſque beato
Rore creant, jurántque roſas ſupponere plantis,
Quas terat ille puer, ſua quò veſtigia flectat

 Deſore

Deſore non flores, pedibus quos calcet, & Aſtra,
Si deſint, calcare dabunt: felicibus ibit
Auſpiciis, fiet Roſa calceus, Aſtra cothurnus.
Hîc ſeſe gemini plauſtro volvente Triones
Agglomerant, ſulcántque polum: ſtellantis Aratri
It facies, ſtelláſque ſecat, mittítque favillas.
It mixtus ſtridore nitor: ſonus excitat aures,
Lux oculos: audire faces, ſonitúſque tueri
Grato errore putes: ſua ſeminat Aſtra Bootes,
Seminat Arcturus ſua ſidera, largior unde
Aſtrorum ſeges, & ſplendentibus horret ariſtis.
Vndique corripiunt ſtellarum incendia Plauſtrum:
Huc radii glomerant: totúſque exæſtuat ardor
Sidereus: rutilo micat igneus axis honore,
Flammantúrque rotæ: nitido venit apta Triumpho
Machina: fulgentes coëunt in cingula Zonæ,
Inque habiles ductu facili vertuntur habenas,
Loraque ſufficiunt; currum ſeptena Planetæ
Numina conſcendunt: certas ſibi ſingula ſedes
Deſignant: capiúntque locos, vacuíſque ſorores
Sedibus accipiunt Charites; huc Fata vocantur
Et Parcæ: non jam immanes, ſævóque feroces
Ingenio: mites veniunt, faciléſque rogari.
Altera pars currûs, quæ ſe prior objicit, Arcu
Deſuper obtegitur, quem mille coloribus Iris
Rorida diſtinguit, pluvio cum brachia Cælo
Curvat in amplexus, & ſidera provocat arcu,
Anxia telluris: ceu protegat, ac velit enſes
Adverſus pluvios, nimboſaque tela tueri:
Hic tamen exponens hilari ſpectacula Cælo
Verſicolore rapit cupidos diſcrimine viſus.
At partem egregii, quæ ſe fert vltima currûs

Dignior,

Dignior, & puppis ſeſe inſtar in aëra pandit,
Circuit obliquos convolvens Aureus orbes
Circulus: & Solem duodenâ ſede vagantem
Excipiens: videas rutilis ſtationibus ignes
Sidereos, inferre faces, duodena micare
Lumina, Solares imitantia lumina flammas.
Hîc Aries, Taurúſque nitent, ludúntque per auras,
Séque petunt radiјs, adverſaque cornua tendunt,
Incurſántque ſibi, ſtelláſque exſuſcitat ictus,
Irritátque faces: ſaltu Caper inde petulco
Exilit, & celeri pede ſidera percutit: vnde
Ingeminant Flammæ, ludúntque per aſtra favillæ.
Scorpius ardenti ciet igne volumina caudæ,
Blanditúrque modis: tento Centaurus in Arcu
Sidera diſponit, nec erit qui talia temnat
Vulnera, quin ictus hortetur, & aſtra laceſſat:
Pectora tota patent, ubi ſidera ſola, ſagittæ.
Ire retro Cancrum non paſſu, at pondere cernas
Aſtrorum, qua parte gravant, ſua terga ſecutus,
Sidereâ quæ mole trahunt, ducúntque retrorſum.
Exceſſus hic Libra cupit, juſtúmque refutat
Splendoris mutata modum: ſtat prodiga lucis,
Accumulat radios, geminataque ſidera torquet.
Proximus huic ſtellis ſtagnantem undantibus Urnam
Promit, & aſtrorum diffundit Aquarius imbres,
Nec timet exhauſtæ: vivo nam gurgite turbo
Flammeus ebullit, glomerataque ſidera jactat,
Ceu vivo de fonte fluant. Viden ire natatu
Sidereo per ſtagna Poli ſplendentia Piſces?
Partem extare ſuprà, partémque in gurgite condi?
Mergi vtrámque modo, modo ſurgere cernis utrámque:
At ſemper claris fulgere nitoribus ambas.

Hic Leo ſidereis rutilat ſpectandus in aruis,
Igneſcítque comas: crinalia ſidera formant
Stellantes ceruice toros: criſpatur in Aſtra
Cæſaries, ardéntque jubæ, crinitur honorâ
Luce caput, ſtellæque fluunt per colla, per armos.
Dant fronti diadema faces: tumidúſque coronâ
Imperium affectat cœli, & fremit ore coruſco.
Mitior it Virgo, nitidámque innoxia frontem
Incitat in ſtellas: miteſcunt aſtra pudore
Virgineo; miſcéntque vices lux, forma, decore
Fædere; ſed dubitēs utri ſit fœnus honori?
Lux decorat: decor illuſtrat: formoſa nitore,
Atque decore nitens: maior ſed gratia formæ,
Quòd vivat: Virgo exanimem de luce nitorem
Accipit, at luci vivos dat Virgo nitores.
Concordi agglomerant Gemini ſua ſidera Fratres
Lumine Tyndaridæ, media non luce beati,
Sed toto ſplendore nitent: cuique integra Cœlo
Vita venit, neutrum mortis vice deficit Aſtrum.
Luce ambo, vitâque pares: concordibus ambo
Luminibus, vivóque adeò junguntur amore;
Nec jam horrent Helenæ conſortia dira ſororis,
Et fatale decus; geminato ſidere virus
Correxere aſtri: potuit nec vincere Fratres
Vna duos ſoror. Effulget comitantibus aſtris
Iam melior, jam pacis amans, jam neſcia belli,
Ore gerens Helenen, fatúmque exuta cruentum.
Non alias meliora polo fulſere ſereno
Sidera: tam pulchris ſeſe Ternarius aſtris
Excitat in flammas, tantóque incenſus honore
Fulgurat; ipſa faces ternas mirata Diana
Erubuit triplicem vultum: mallétque deinceps

Aſtra

Aſtra ut terna forent tria Virginis ora Dianæ.
Hic chorus Aſtrorum, glomerato lumine, Cælo
Dejicit ex alto ſeſe: Regnúmque requirit
Luſiacum: Regnìque caput propè littora ponti
Occidui, qua parte maris Tagus ebibit undas,
Quam poſuit Troiæ poſt funera victor Vlyſſes,
Cujus Olyſſippo de nomine dicitur, vrbem.
Regnat ubi, qui ſceptra recens, qui jura vetuſtus,
Regia progenies, Lyſijs qui gentibus olim
Promiſſus, nunc ſorte datus, ceu proximus hæres
IOANNES: Quarto vindex Aſtræa Philippo
Quem Regem oppoſuit meliori è ſanguine Quartum:
Ablatóque dedit ſceptrorum jure potiri.
Illius aſcendunt auguſta Palatia, fervent
Quæ numero, plauſuque virum, fœtúmque recentem,
Regia quem coniux Ludovica emiſit in auras,
Concelebrant: hæc cauſa viæ. Penetralia tendunt
Regalis bene nota domus: cunáſque requirunt
Principis Infantis: circumque ex ordine ſiſtunt.
Deſiliunt ſeptem Plauſtro ſtellante Planetæ:
Luce beant propiore domum. Venus aurea cunas
Prima petit: vultúmque aperit feſtina jacentis:
Tot ſubito micuere faces, tot lumina, tantus
Splendor: ut attonitos lux egerit ire Planetas
In tenebras, noctémque pati! Sol ipſe receſſit
Longiùs, & ſtellam ſeſe admiratus, inhæſit,
Ne rueret, Marti, fulcrúmque in robore ſenſit:
Penè viæ puduit: riſit ſoror æmula fratrem,
Ac tenuit, fixítque gradus: mox pallida rore
Nectareo Charites perfundunt lumina, reddunt
Exanimémque ſibi. Cuncti dein Sole recepto
Agglomerant, cunáſque obeunt, pueróque propinquant:
Munera

Munera diſpenſant. Sua quiſque exhaurit, & Aſtrum
Prodigus effundit. Pleno fert Cynthia cornu
Divitias, ditátque opibus, fœcundaque promit
Sidera: ſceptra maris, cui præſidet, exhibet, undas
Dat regere, & totum dominari claſſibus æquor.
Mercurius tendens ſtellatam ſidere virgam
Pacifico, dat blanda Togæ, Pacíſque fovere
Munera; dat mites populis indicere lèges,
Eloquij dat ſcire modos, artémque loquendi;
Ori nectareos Venus alma infundit honores,
Ambroſiúmque decus, ſpargítque in fronte nivales
Delicias, oculíſque faces de lumine ſumptas
Phœbeo; florere genis dat rubra roſarum
Germina, & ardentis labris flammare pyropos.
Amovet invidiam, pronóſque invitat amores,
Ut veniant, pulchri quo gratia creſcat alumni:
Corda hominum rapiat, totóſque exhauriat ignes.
Exilit hic Mavors, miſcétque incendia belli
Delicijs, ne tota Venus dominetur, & acres
Roboris incidat formoſo ſidere nervos,
Belligeras jacit ore faces, flammíſque decorem
Aſperat, ira decet; ſcintillant lumina, & armis
Fulminat. Hoc habitu pueri bellacibus implet
Cor furijs, oculos ardoribus, ora furore.
Corrigit ira decus: faciem vis Martia comit,
Inque genis arſere roſæ: vigor ingruit artus
Igneus, occulto durantur robore nervi,
Inſinuat virtus teneris Mavortia membris;
Iamque adeo totum ſpirant præcordia Martem.
Hic cumulat palmas, lauros jacit, ingerit arma,
Undíque frondeſcunt cunabula plena trophæis;
Iuppiter inſigni ſe deſuper explicat aſtro,

Fortunam, Imperiúmque gerens: & utrumque jacenti
Obtulit, addicens cunis. fore fata recepit
Proſpera, & infeſtos alacer procul arcuit ignes,
Deterſitque Polum: mox ſingere ſidera ſceptrum
Imperat, & tradit puero, manibúſque tenellis
Implicat, & totum dat dicere jura per orbem.
Tardiùs, at læto ſe lumine contulit Aſtrum
Saturni, junxítque faces: hic pondera menti,
Judiciúmque dedit: ſecretáque noſcere rerum
Conſilia, occultas fatorum & diſcere cauſas,
Fortunæque rotam, plauſtrúmque volubile clavo
Firmavit, puer óque dedit conſtantia ſortis
Sidera felicis, nullíque obnoxia fato.
Ultimus in media Sol conſtîtit Aureus aula,
Explicuit totum radiorum circulus orbem,
Infudítque diem: timuerunt ſidera luce
Obruta, & occiderent, ni Sol prohiberet amicis
Nutibus; èque ſuo concederet igne nitores.
Tum primùm attonitis licuit præſente nitere
Sole Aſtris, & ferre diem. Sed cura loquendi
Abſtulerat Phœbum, præſentiaque Aſtra volebat
Vocibus eſſe ſuis. Oracula fudit Apollo
Solis habens hac ſorte minus: radióſque remiſit,
Intendítque ſonos: auritam ſidera lucem
Arrigere, & totos radiorum advertere ſenſus
Aſpiceres, Pueri dum fata reſolvit Apollo:
Ille loquens radijs, radiánſque in vocibus infit:
Naſcere, Magne puer, felicibus edite Fatis,
Fata regens: en Aſtra tuis obnoxia cunis,
Te Phœbo ſplendere volunt, cœlúmque requirunt,
Hac melius quâ ſede jaces: non ſidera natum
Circunſtant, ut dona ferant: ut munera vitæ

Diſpen-

Diſpenſent, ſortémque notent. Tu maior alumnus
Luce præis, dotéſque trahis, quo cuncta beari
Aſtra queant: meliore fovet te ſidere Numen.
Altiùs effulges quàm ſe movet axis in orbes
Sidereos, Superíque tibi dant fata. Pateſcunt
Interiora Poli, tibi ſe theſaurus Olympi
Prodigus effundit. Sortem tibi Numina ſingunt,
Fataque, fortunámque docent obnoxia votis
Ire tuis: & ſtare tuo pendentia vultu,
Frontis ad arbitrium, nutúque jubente moveri.
Hæc tibi jura PETRI portendit ab æthere nomen
Prolixis donatum aſtris: cui claudere cœlum
Et reſerare datur, ſceptrum is tibi ſubjicit orbis.
Is Fidei clypeum, Decus Aræ, & Sedis Aſylum
Romanæ fore te quondam promittit; adornat
Iamque tibi rubri ſtellantia fila Galeri.
Corporis egregiæ dotes, animíque ſuperſunt
Ornamenta domi. Dabitur tibi cuncta tueri,
Par cunctis puer unus eris. Tibi fortia multus
Membra Pater, nervóſque dabit, corpúſque toroſum:
Sed formoſa venit tibi plurima Mater in ora.
Te formet virtute Pater, pietate reformet
Te Mater: rurſúmque animis Pater impleat, iras
Inſpiret, Martíſque faces: at Mater amorem
Imperet, & dulces animos, mentémque benignam.
Iudicij magnum pondus Pater addat, acumen
Ingenij Mater, legum documenta, ſeveram
Iuſtitiæ normam, decus inviolabile juris
Te Pater edoceat: pia munera Mater, honeſti
Plena, preces, vota, & quicquid clementia leni
Suggerit impulſu. Confert Pater omnia nato
Dona Sagi, materque Togæ. referéſque Parentum

Alter-

Alternis dotes: gratâ vice reddis utrumque.
Si breviora tamen placeant compendia: Frater
Illa dabit PRINCEPS: hic omnia colligit unus:
Iudicio, ingenióque valet, nec mentis acumen
Deficit, aut pondus, celſa viget indole, bellum
Spirat, & arma tener, juſtáſque armatur in iras,
Inque decens venit ora furor, mixtúſque decori
Horror ineſt, habilis validos vigor ingruit artus,
Et ciet: inſignis ſtudijs, exercitus armis,
Munus amans utrumque Togæ, bellíque, paratus
Arte domi, virtute foris; frenare clientes,
Et ſuperare hoſtes: jam circum tempora ludit
Laurus, & in frondes viret ambitioſa comarum.
Spirat Alexandrum: vivítque in pectore Cæſar.
Par utrique venit, ſpondent cui fata ſupremi
Imperij ſolium, & domito decus orbe Triumphi:
Hunc tu olim rapido præeuntem ad ſidera paſſu
Perge ſequi, & fratrem ne deſere frater: in aſtra
Evades, Cælúmque premes. Monet ire citatis
Paſſibus ALPHONSUS, minor eſt qui Principe, maior
Teque annis, meritis ſed non minor ibit utroque,
Nec maior: tres ite pares: ſervate decorum
Sed tamen. Ille prior, qui luminis occupat auras,
Occupet imperium: jam proximus ille ſequatur
ALPHONSUS, cedátque uni, tu cede duobus.
Nec ſceptro liceat; liceat contendere factis;
Eſte pares meritis: juſtóque incedite paſſu,
Quâ via virtutis, quâ gloria pandit Olympum.
Patruus hâc omnes EDUARDUS in aſtra laceſſit,
Commonſtrátque gradus: virtutem diſcite ab uno,
Fortunam ex alijs. Solidis vos dotibus ille
Erudit ad famam: nulla eſt à ſorte ſecundâ

Molliti-

Mollities: riget adverſis exercita fatis
Vis animi, maior Fortunâ, & celſior aſtris.
Huic olim ſimiles, exceptis, ſidera, vinclis,
Vos faciant. Vos ite viâ meliore, ſecundis
Auſpicijs, & quæ fuerint minus obvia fraudi.
Hæc Phœbus: firmant oracula ſidera nutu.
Et ceſſere domo: ſervat ſed Regia lucem,
Aſtrorúmque locum geminæ tenuere ſorores,
Suſtentántque diem: melioraque ſidera Fratri
Subſtituunt, IOANNA faces hinc ſufficit: addit
Hinc alias CATHARINA faces: cœlúmque reducunt;
Sidus utrúmque domi: nihil eſt abſentibus Aſtris
Aut lucis, decoriſve minus. Quin luce moventur
Virgineâ ſuperi. Veniúntque in fata volentes.

ÆREVM

ÆREVM TRIVM IMAGINVM

REGIARVM LVDOVICI

DECIMITERTII

IVSTI,

ANNÆ AVSTRIACÆ,

LVDOVICI XIV.

ADEODATI,

ET

ANGELI SVPERVOLANTIS

SPECTACVLVM.

Ad æternitatem expreſſum.

In Bivio Pontis commutatitij collocatum.

Iconiſmo Poetico deſcriptum.

ICO-

ICONISMUS POETICUS.

QUI populi fervente novus Pons æſtuat undâ?
Cui ſtrepitu via pulſa pedum reſponſat? Apertis
Cui foribus gens fuſa ruit? Cui tota citato
Urbs properat vacuata gradu? nec ſidera deſũt
Excita de ſuperis: video ſtellantia plantis
Agmina miſceri, mediâque incedere turbâ;
Et ſtudio maiore trahi; nec parcere luci,
Nec curare decus, radios jactare remiſſos,
Et turpare comas, ſola eſt accedere cura:
Sic incompoſito currunt vaga ſidera paſſu!
Scilicet illa trahunt ſpectacula; digna theatro
Quæ ſuperûm, quæ nota Polo: quæ dextra Tonantis
Viſa potens fabricare, manus non paſſa minores.
O qualis facies oculis aperitur! obumbrat
Lumina clara nitor; lux obruta luce fatiſcit.
Sed minuet radios reverentia, debita nubes
Officio, viſumque ferens. En terna refulgent
Diſtinctis ſimulacra locis, ſceptriſque coruſcant
Tergeminis, ternis video capita alta coronis.
Aligeri effigies ſuperimminet una volantis.
Stat propius conferre gradum, ſtat cernere fixo

Obtutu, paſcique oculos. O Iuſte tuorum
Antè decor, modò Iuſte dolor! geminare licebit
Cognomen Rex Magne tuum Ludovice, dolendi
Cauſa recens, quem vota vocant, quem cura laceſſit,
Quem communis amor nunquam patietur ab imo
Pectore divelli. Tuus hic decor, hæc tua vultus
Majeſtas, nec in ære minor: tibi lilia candent,
Armaque mixta decent: pacis ſtant florida, Belli
Argumenta rubent: te terror amabilis ornat,
Terribiliſque decor: partimque incendis amore,
Et partim terrore feris. Tua dextera ſceptro
Nobilis, & Paci leges, & vincula Bello
Imperat: attonito ſic redditus arbiter orbi.
Iam ſpiras Cæleſte decus: propiorque Tonanti
Numen oles: pulſas animos, cogiſque videndo
Te cultu maiore ſequi, virtúſque meretur,
Quas renuit meruiſſe aras: hoc ſanctior illa
Quòd decoris mercede cares, ſed ſecula longo
Circuitu tibi juſta dabunt altaria: Nonus
Teque ſibi ſacris ſocium Ludovicus habebit.
Dextra tibi Ludovice datur. Latus Anna ſiniſtrum
Tu felix Regina tenes; ſtupor ora tuenti
Fixa ligat, mentemque ferit: nec flectere viſum
Paſſus amor: ſic corda rapis, ſic vivis in ære,
Ut ſpecies deceat chalybem; tua forma metallum
Brutum animat, mutóque loquax decus ore fatetur
Se ſuperum de fonte trahi. Minor ire Diana
Viſa polo, minor ire Venus, vel ficta minores
Arguit illa Deas, geminas & in ære triumphat.
Quid ſi viva foret? Non Cynthia purior, arcu
Cum Luna a novo radios jaculatur in aſtra,
Obtundítque faces, tenebráſque in nocte reſolvit,

Et

Et fratri geminam nimio probat ire nitore,
Auderet conferre decus. Non ipſa refulſit
Cùm Venus alma parens, claraque in luce nitentem
Se tulit Æneæ, quò poneret arma, videndam:
Cum ſe faſſa Deam, qualis ſpectatur Olympo,
Incenditque Deos, & numina torquet amore;
Deque ſuo nati complevit honore ſagittas,
Auſa oris tolerare faces, quas Anna remittit
Pulchrior, & cogit Venerem deponere faſtus.
Adſpiceres illam Iunonia jura tenentem,
Majeſtate gravem, moderantem ſidera ſceptro,
Citra iras, ultráque decus: faſtidia damnat
Iunonis, formámque probat. Sibi vendicat oris
Lumina, & emotæ renuit fera fulmina mentis.
Una ſibi Pallas placet integra: bella decori
Quòd miſcet, feritate decens, formoſa furore,
Irarum, decoríſque tenax, quæ caſſide crines
Nunc premat, & rurſum reſoluto vertice laxet.
Dura foris, mitiſque domi, quæ ſpicula vibret,
Tela rotet, verſet gladium, ſcuto impetat hoſtem,
Dejiciátque gradu, lauróque obtecta triumphet.
Quæ rurſum pia tecta colat, ducátque remiſſâ
Penſa manu, revocétque colúm, precibúſque fatiget
ſidera, & inclinet pronum in ſua vota Tonantem,
Mitior & blandâ laurum commutet olivâ.
Cernis ut in vultu ſurgat decor aſper? & arma
Imperet, & toto vis ignea ferveat ore?
Talis in adverſos ſe Pentheſilea ferebat,
Cùm face, cùm ferro violenta metebat Achivos.
Talis in attonitos furioſa Semiramis hoſtes
Ibat, agens raucos ſpumanti à ſanguine rivos.
Adſpicis, ut rurſum decor aurea molliat ora,

Immutétque vices, roſeóque imbuta colore
Candicet in facie nix hinc, flamma inde coruſcet?
Ignis ut ardeſcat nivibus, nix frigeat igni?
Haud ſecùs in tenero genuit Lavinia vultu
Lilia mixta roſis, cùm Turnum in bella ruentem
Implevit ſtimulis, palmæque incendit honore.
Haud ſecùs ante aras formoſa Polyxena vires
Exeruit formæ, decoriſque extrema reſumpſit
Robora, vicinâ capiens de morte decorem.
Pulchrior ut Phæbi facies ſolet eſſe cadentis,
Cùm dubiâ ſtat luce dies, repetúntque relictas
Agmine nocturno, gratâ vice, Sidera ſedes.
Talis ineſt Annæ facies, ſecura pericli,
Morte procul: nam vita favet; vivítque vigoris
Plenus honos, animátque genas; ſtant lumina Solis
Æmula, & in rigido mollis natat ære venuſtas;
Coniux digna viro: vel forma, vel arma placebunt,
Hinc Venus, hinc Pallas geminato Numine ſurgit.
Vix par una foret, labor eſt immenſus utriſque
Eſſe pares uni. Cumulatis dotibus Anna
Exhauſit ſuperos, nec munera plura ſuperſunt,
Quæ rapiat, licuit conſumere dona Tonantis.
O quem te memorem, medius qui ſurgis, & altum
Marmoris inſiſtens, ſuperas faſtigia, quadrum!
Quo gemit, & rurſum quo pondere tota triumphat
Machina: qui raptos trahis in ſpectacula ſenſus!
Cujus in aſpectu ſtant lumina, nec ſibi conſtant
Quid videant dubia, an ſupero demiſſus Olympo
Aliger, humanis mortalis an editus oris?
Idem annis, habitúque puer, ſed dotibus ingens
Pars ſuperum. Stat victa tuis virtutibus ætas,
Æternúmque probat: ſed qui genuere parentes

Numen

Numen ineſſe negant; latere ex utroque tuentes
Aſpicio, natúmque ſuo te poſcere viſu:
Ne furetur honos, ne fama adſcribat Olympo.
Ne te hominem puer eſſe nega, mortalibus adde
Te decus: ut tanto tellus potiatur alumno,
Invidiámque Polo moveat; ſemel urgeat aſtra
Livor, ut humanis concedere diſcat Olympus
Dotibus. O qualem tenero te corpore Regem
Aſpicio! Prætexta tibi, quod purpura donat,
Antè dedit, ſoliúmque tibi cunabula, pannis
Obtectus jam jura dabas, & Regna ciebas
Cuncta ſupercilio, pacíſque imponere leges
Nutibus aſſuetus, totúmque impellere mundum.
Nec geminos tantùm preſſiſti parvulus angues,
Herculeo de more, manu: ſed acuta Leonis
Fulmina, dentatas acies, & roſtra volantum
Imperij pennis Aquilarum roſtra refringis
Fortior! ipſa tuæ Fortuna obnoxia fronti
Fingitur ad nutum, motúſque intenta jubentis
Expectat, ſphærámque tibi committit, in orbes,
Quos ſignes, abitura tuos: tu ſtringere habenas,
Tu laxare potes, tu flectere, ſiſtere, clavo
Figere, tu metas, certóſque imponere fines.
Ut natus, devota tibi, tua ſigna, merentis
Inſtar, ubique ſequi, Galliſque addicta maniplis,
Quod votis jurata tuis, cunabula laurus
Viſa ambire ſequax, naſci victoria cunis.
Auſpice te, Patruus Dux Aurelianus, honoris
Primus apex, aulæque decus, qui proximus inſtat
A latere, & ſolium propiori limite tangit,
Conſilijs, bellóque potens, Mavortia campo
Agmina bellantum ferus intulit: alta coegit

 Mænia

Mænia, queis validæ Gravelingæ cedere, collum
Subdere, & audaces ſuccumbere floribus arces,
Quos cruor è niveo reddebat honore cruentos.
Vulnere quo gemuit Dunquerqua, & Flandria luctu
Mæſta: novas illo timuit ſibi funere clades.
Auſpice te, belli fulmen Mavortius Heros,
Vivax palma, ſuis & onuſta, & firma trophæis,
Primus honos trunci, primúſque à ſtipite ramus
Borbonio Princeps tonuit Condævus in hoſtes,
Et ſtravit; totíſque ciens incendia campis
Martia, profligátque acies, funditque maniplos,
Caſtra rapit, muros impellit, & obruit urbes,
Victor, & attonitos ferro, & face demetit agros.
Hoc Duce prima tuos cecinit victoria plauſus
Rocroyæ, quâ pulſa loco decedere moles
Hiſpani viſa Imperij, faſtúſque ſuperbos
Exuere, & tantâ portendere clade ruinam.
Hoc duce victa tuis dedit oſcula Villa Theonis
Rex pedibus, Dunquerqua ferox ſua frena momordit,
Colla dedit, patiénſque jugi tua jura recepit.
Hoc feriente novis tremefacta Arteſia bellis
Obriguit, ſtupuit perculſa Aragonia, ſenſit
Cùm vicina ſuis inferri mœnibus arma,
Effundíque acies, graſſari incendia campis:
Collegit quin ipſa ſuas Hiſpania vires,
Conſuluítque ſibi, timuítque in Principe Martem.
Auſpicijs, Rex Magne, tuis effuſa per oras
Italiæ armorum Melereo authore procella:
Cui Mars armipotens, decus inſuperabile bello
Attribuit, ſupraque ignes, & fulmina flammæ
Vulcanus dedit imperium, voluítque jubenti
Cyclopas parere duci, totámque reliquit

Sicani-

Sicaniam, & vaſtis concuſſam incudibus Ætnam,
Cuncta vacare ſibi, Melcreo ut cuncta laborent,
Maluit: huic Brontes, Steropes, nudíſque Pyracmon
In varias verſi facies ſudaſſe feruntur:
Quique olim requiémque dabant, ſpatíumque labori,
Hoc nunquam vacui reſpiravere Magiſtro.
Ille igitur portus geminos, & clauſtra recluſit
Italiæ, clavéſque tulit tibi, maxime Regum,
Sacrandas, vetitíſque dedit conſiſtere terris,
Et navale tuis victor decus addidit armis,
Tempora præcingens meritis Roſtrata coronis.
Quot cumulat palmas Comes ille Harcourtius, hoſti
Martia tempeſtas! quæ fulmina mittit ab alto
Igniferam oſtentans aciem, dextrámque potentem!
Per palmas dat inire gradus, pueróque triumphos
Apparat, atque tuis lauros adrepere cunis
Edocet, ipſa tuis ut ludat adorea plantis.
Nec ſatis. Attonitus video ſtupefacta cruore
Arva procul, totis & fervere funera campis,
Et fumare ſuo confuſa cadavera tabo:
Oppida corruere, & turritas mænibus urbes
Nutare, & tandem gemitu traxiſſe ruinam.
Gaſtonis monet hic ſtrepitus, quo nullus in arma
Promptior; hic, venti ceu raptus in aere turbo,
Cuncta rapit, verſátque ferox, temerarius auſu,
Sed virtute potens, tibi magna trophæa reliquit:
Séque ſimul partem cæſus dedit ire trophæi.
Auſpice te tandem Libertas publica longo
Libera ſervitio reſpirat, & arma laceſſit
Gallica in auxilium: dentes cum exoſa Leonis
Parthenope niveis ſe condere floribus optat,
Candida ſolicitans Guiſio Duce Lilia, faſtu

Contempto, Heſperiæ, videas floreſcere Regnum,
Reſtituíque ſibi, populúmque ad juſta vocari;
Pilea, & hoſtiles impellere Marte phalanges.
Iámque rates ducunt Richelia ſidera lauris
Conſita, & optatis accedunt littora ventis,
Exitiúmque ferunt hoſti, dubijſque ſalutem
Civibus, attonitus ſtupet hoſtis, & arma tremiſcit
Gallica, nec juſtis contendere viribus audet,
Eminet in medio Richelius æquore victor.
Auſpicijs hæc parta tuis, Rex maxime, primis
Dum frueris Matris gremio, puer aureus, annis;
Quas tibi portendunt prælndia bellica palmas,
Ferreus arma manu juvenis cum preſſeris? hoſti
Obvius, & campum rapiens, cum fulgur ab enſe
Prodeat, & tortâ fulmen jaculeris ab haſta?
Cum ſtimulos adhibebis equo, fodiéſque frementis
Ilia, & ardenti coges terere obvia curſu
Agmina, & obſtantes diſpellere calce phalanges?
Te minor Alcides, & te minor ibit Iaſon,
Lentus Alexander cedet tibi, lentus & Hector,
Præ te Cæſar iners, Pompeius inutilis armis.
Ærea ſic facies ſpondet tua, plena vigoris,
Martia, vim ſpirans, rapiens incendia, belli
Apta minis, armis obnoxia, prona furori,
Hoſtibus horribilis; nec te tamen ira ferocem
Sola decet, pax alma comes moderabitur iras,
Excludétque metus, terror pugnantibus unus,
Unus eris ſtratis amor hoſtibus; illa placebit
Ars Romana tibi: Pugnaces frangere, victis
Parcere, & hoc gemini Reges docuere parentes.
Artibus his nubes, & ſidera ſumma ſequeris,
Excibis ſuperos, tua nec veſtigia pennis

Fama minor releget, lento demiſſa volatu,
Diſſringetque tuam, tantis quæ laudibus impar,
Quòd mortalis erit. Cælo ruet Aliger (ecce
Promptus adeſt) cuſtóſque tui, juſtiſſima laudum,
Immortale ſonans, canet argumenta tuarum.
Inflabítque tubam, quam non canor increpat æris,
Sed flatus premat æthereus; quo tota reſultent
Sidera, & æternum reſonent in ſecula nomen.
Hic tibi laurigerum ſuſpenſus in aëre portat,
Quod nectat diadema caput, mixtúmque coruſcat
Sideribus, dant aſtra comas, folijque virentis
Inſtar eunt, tantæ te poſcit adorea laudis.
Cernis anhelantem, & toto ſe pondere ab aſtris
Librantem, læváque tubam, dextraque coronam
Intextam è lauro, Cæleſtia dona, ferentem,
Iámque propinquantem, jam Regia colla tenentem.
Hoc oculos, animúmque trahit, nec ſidera curat,
Nec ſuperos: cura una tenet conſiſtere, Regis
Stant ubi certa loco veſtigia, flamma coruſcat,
Spirat in ore calor, ciet ignis, anhelat amore.
Hanc tibi parve puer, Rex maxime, conſecrat aram
Pars tua fatorum melior, mens provida ſceptri,
Regni Atlas, Aſtrúmque tui: quod purpurat inter
Lilia, & in rubro gerit aurea ſecla galero,
Iulius, Auguſtúſque pater, namque omen in uno
Nomine præripuit ſibi Mazarinus utrumque.
Hic datus à ſuperis cuſtos, hic arbiter orbis,
Hic decus imperij, belli Mars, pacis Apollo,
Mercurius linguâ, Saturnus pondere, Pallas
Ingenio, Titan opibus, Tyrinthius auſu,
Iuppiter & virtute potens: quo nixa recumbit
Gallia, qui pacem nutu ſuſpendit, & arma;

Atque

Atque ſupercilio rurſum movet arma, togámque;
Coget & ire tuis domitum ſub legibus Orbem.
Hic tibi ſorte datus, melior Chirone Magiſter,
Qui pacis, bellíque artes, non horridus, inter
Saxa notet, reddátque feris; quo præſide ſævus,
Iracundus, atrox in bella erupit Achilles.
Sed mitis doceat, ſapiénſque, & civibus addat
Te ſocium pacis, comitémque in prælia ducat:
Vt placidus, facilíſque regas, ut præmia juſtis
Aſſignes, leges jubeas, pœnáſque nocentum
Imminuas, cultórque togæ, bellíque Magiſter:
Mitior his, maior tamen, artibus ibis Achille.

TATVA EQVESTRIS CAPITOLINA

MARCI AVRELII

CVM ORACVLO

AD

ALEX. VII

HIC ubi Tarpeiæ victricia culmina rupis
Alliciunt oculos, & ſidera ſumma laceſſunt,
Incumbúntque Urbi vaſta ſub mole gementi,
Ardua planities anguſto limite Circi
Caſtigata ſedet; quâ mollior exit in altum
Scala patet, dextrâ, levâque palatia cingunt,
Statque ingens à fronte domus, quæ juſta Senatûs
Curia Romani ſervat venerabile nomen,
Et decus; antiquæ lapidoſis collibus arces
Educunt turres, & propugnacula cælo,
Et Capitolinæ retinent veſtigia ſedis,
Quæ turritus apex audaci mole coronat,

In

In medio, quà parte forum ſpatiatur in orbem
Liberiùs, quadrata ſitu ſe porrigit amplo
Baſis, & æterno conſtructum marmore dorſum
Exhibet incumbenti oneri, quo nulla ſuperbit
Machina nobiliùs; quamquam Temeſæa labores
Æra ſuos jactent, jactet quoque Cypria ductus
Lamna ſuos; quamquam Parij ſe marmoris artes
Adjiciant, rumpántque ſuper Lunenſia venas
Fragmina, & inducat maculas Thebanus Ophites.
Scilicet hoc Martius ſimulacro ex ære reſurgit
Redditus è tenebris iterum vitalibus auris
Aurelius; ſeu vivit adhuc, & ſpirat in ære
Fati expers, vitæque tenax: nec mortuus ille eſt,
Corporis at puduit, quôd molle, ac indole dignum
Non erat excelsâ; quæſivit in ære decorem,
Mutavítque ferox durato in corpore vitam.
Dicitur effigiem cunctis mandaſſe Cyclopis
Mulciber effingi, quòd non ſatis unus, & uni
Additus alter erat, Bronti, Steropíque Pyracmon
Venerat adjutor, nec votum æquare jubentis
Tres poterant: ars illa minor pro munere, quamquam
Sudarent, maiórque iret de frontibus humor,
Quàm quæ de liquido manabant ære fluenta;
Ergo, minor ceu turba operi foret, impiger ultro
Advolat Ignipotens, juſſiſque recedere, totum
Sumit opus, ſervátque ſibi; penetralia pandit
Ingenij, curáſque acuit, diúmque vigorem
Concipit, & ſuperæ miracula colligit artis.
Nec brevis ille labor; prolixo tempore, tanto
Inſudaſſe ferunt, atque invigilaſſe labori,
Conjugis immemorem, neglecta cubilia Marti,
Et vacuos liquiſſe thoros; minor illa voluptas,

Quàm fuit hæc operis. Viden? ut redivivus in ære
Sidat Eques? ſubſidat equus? natura creavit
Diſſimiles; ſed viva pares ars reddit: utrique
Vita, vigórque venit; ſonipes in terga pateſcit
Largiùs indulgens dorſo; mox preſſus in alvum
Ilia caſtigat; componit crura decentì
Poſteriora gradu; ſervant diſcrimina plantæ
Juſta ſitus; habilis diſtantia dividit ambas,
Et jungi, tangíque vetat; nec verbera caudæ
Negligit; adducit paulùm, paulúmque reducit,
Ut deceat, ſervétque modum. Pars altera præſtat
Anterior, pandítque armos, latúmque recludit
Pectus, ubi vis maior equi, maiórque venuſtas
Eſſe ſolet: ſtant membra toris generoſa; tumore
Nervoſo ſtat fæta caro; nodoſa pateſcunt
Robora; conſiſtit pes marmore lævus, & ungui
Nititur ærato: pes dexter in ardua liber
Projicitur, pendétque, in flexum curvat, & angit
Poplitis adducti nervos; protuberat extra
Longiùs os medium, contráctaque tibia in arcum
Ducitur introrſum: venarum it tortilis ordo,
Affligítque cutem, ſtátque ungula pendula, & altè
Imminet incumbens; agitet ceu frangere ſaxum,
Aut hoſtile caput, ſi quis contra obviet hoſtis,
Tundere: Projectus juvat audax cruris, & ictum
Ungula præmeditans. Cervix erecta ſuperbit
Clariùs: attollit ſe ſe; juſtóſque tumores
Concipit, & flexu meritos commendat honores,
Blanditúrque ſibi longâ ambitione comarum.
Surgit adhuc collo caput altius; artis acumen
Hic vitæ formavit opus: quâ ſurrigit aures,
Molliter in crines criſpantur tempora; frontis

In medio crinitur apex; face lumina vivunt
Infuſa, reddúntque ignes: queis flamina nares
Dant patulæ: credas ſpirare, & motibus auras
Colligere, & rurſum collectas reddere: tantùm
Fumus abeſt; nec enim manui datur ire ſequaci
Æs extra, ventóſque ſequi: decet ora modeſtus
Rictus, & hinnitum qui non meditetur, & iras
Comprimat, ut fræni patiens, dominíque potentis
Conſcius: accepto videas miteſcere fræno,
Et paulùm torquere caput, quâ tractus habenæ
Ducit, & obſequio lori prævertere ſignum,
Officióque regi, non vi, non arte fatetur.
Me monuit ſeſſoris equus; rapit ille tuentem,
Et tenet; elatâque jubet conſiſtere dextrâ,
Ceu tranſire nefas. Sed quis deſcribere verſu
Audeat? objecta terretur imagine Phœbus,
Incuſátque fides, muto quòd maior in ære
Fama ſonet, quàm voce lyræ. Chorus ecce ſororum
Advenit auxilio. Puduit, ſed digna pudoris
Materies, juſtóque metu: minus horruit artis
Phidiacæ monumenta, minus ſimulacra Myronis
Praxitelíſque minus; Polycleti eſt ſigna canendo
Auſus, & egregios Lyſippi æquare labores.
Numina finxerunt miro immortalia Cælo,
Mortali ſed facta manu, peritúraque terris,
Nec dignanda Polo: tamen hæc mortalis imago
Aurelij, à ſuperis facta immortalibus, aſtris
Lapſa venit; ſuperóſque iterum reditura penates.
Quantus equo, qualíſque ſedet! ſtat forma venuſti
Corporis apta ſitu, tenduntur crura, decéntque
Ilia cornipedis; nimium nec laxa relinquit,
Nec nimium conſtricta premit, ſervántque tenorem
Penden-

Pendentes utrinque pedes; it truncus honori
Corporis erectus, librato & pondere dorſum
Subſtrati metitur equi; mediúmque fatigat.
Lævâ parte minùs, dextrâ magis eminet, hinc ſe
Colligit, & lævam, faciles ceu tendat habenas,
Advocat, inde latus dextrum paulùm ejicit, antè
Projiciens, tendénſque manum, quæ tota lacerto
Producto laxata patet: ſeu ponere ferrum
Præcipiat, pacémque ſequi; ſeu ſiſtere greſſum
Intrantes, & abire vetet, ſignétque paratum
Hoſpitium, pretiúmque moræ: ſeu tentet euntes,
State viri; quæ cauſa viæ? quive eſtis in armis?
Non armatus ego vos Marte, vel arte laceſſo.
Adjuvat os, habitúſque oris, placiduſque, piuſque,
Et pacis frons mixta notis, oculíque benigni,
Et caput emeritâ cinctum poſt prælia lauro.
Dat Toga longa fidem, quæ fuſa utroque decenter
Ex humero, corpus totum tegit, & tegit armos
Quadrúpedis, laxátque ſinus demiſſa fluentes.
Pax Equitem, pax ſignat equum: bellator uterque,
Cum decuit; nunc pacis amans. Fuit incitus olim
Hic ferus in Quados, medióſque invexit in hoſtes
Fulmina, & in cineres victricia ſigna redegit.
Hujus Iaziges, Marcománique furores
Pannonicâ ſenſere fugâ, cum percita curſu
Ungula præcipites acies in ſtagna cruenti
Fluminis impegit, vivóque in ſanguine mergi
Compulit. Hunc Rheni populi videre ferocem
Ire ſuper ſtratos ferrata calce maniplos.
Hunc Scythicæ timuere nives, cum naribus ignes
Intulit, & flammis Borealia frigora ſoluit
Arma gerens, armata ciens incendia campis,

Conſcius

Conſcius ille Ducis, quo nemo ardentiùs unquam
Bellavit, cùm bella forent; nec mitius unquam
Regnavit, cum pacis opus; ſic blandus Athenas
Eſt invectus equo, mólléſque ambivit honores;
Sic hæderas Romæ voluit ſuccreſcere lauris,
Et faciles laxare comas: ſic Palladis artes
Præpoſuit bellis, docuitque excellere mores
Armorum ſtudijs, & cedere legibus arma.
Non aliàs celſo ſe vertice movit Olympo
Ocyor excutiens madidantes Pegaſus alas
Bellerophonta ferens, ſtragem, exitiúmque Chimaræ.
Non aliàs ſpreto mortali Fratre, caducum
Indignatus onus, tulit immortalis habenas
Clarior, & totis jactantior hinnijt aſtris
Cyllarus, & celeri laſſavit nubila curſu.
Hoc minor Adraſto ſeſſore volaret Arion;
Tæderétque oneris; mallet Capitolia curſu
Tendere, & oblitas Domini mutaret habenas:
Hoc minor impoſito, cum Troiam urgeret, Achylle;
Xanthus agens ſpumas; & Pergama, & Hectora traxit:
Cederet ille ferox, nulláque domabilis arte
Vector Alexandri; ſolitas hîc poneret iras
Ambiguus Domini: ſeſſorem optaret utrumque,
Curvarétque genu, Marcúmque in dorſa rogaret;
Exciperétque ambos, ne fortè erraret in uno.
Cederet ille adeo, qui Cæſaris actus habenis
Texuit aſtra comes, propriúſque afflavit Olympum;
Quòd ſuperum vis magna domi; qui ponere greſſum
Calcibus humanis, & vincere nubila curſu,
Laurorúmque ſuper, palmarùmque ire ſolebat
Aggeribus, ſtatuáque auctus Genetricis ad ædem
Idaliæ, vivo moriens duravit in ære.

Omni-

mnibus hic ſupereſt, ſervátque æternus honores;
ar Domino, Dominique ſequax, & ſæcula vincit
ividus, antiquæ retinens miracula famæ.
lic reliquis unus vivit pereuntibus; illè
ompoſitis bellis Capitoli in ſede locatus
e furto, de Marte vigens, anníſque triumphat.
loc habitu decorátque Urbem, ſervátque Quirites,
xternóſque rapit; ſervat Capitolia Cuſtos
Aurelius. Nunc ille novo ſuccenſus amore
rbis, Alexandro poſtquam commiſit habenas
nperij, clavéſque dedit, queis claudere Cælum,
t reſerare datum; Chiſiæ cùm lumina gentis
erneret, & Romam venientia Sidera, lucem
Allatura novam; quæ tandem vota Quiritum;
Atque preces Regum, & ſuffragia rubra Senatûs
nduxere urbi, meritum commendat honorem,
tque refert juſtas Populo pro munere grates
omano, & quæ fata videt felicia, pandit,
umanáque ſuos affatur voce Quirites;
xtendítque manum, verbíſque ſilentia poſcit.
iſtite Romulidæ: noſtris date vocibus aures,
ata cano. Venere dies, quibus æmula ſurgat
omá ſibi, veterúmque novet miracula rerum
lluſtrata fide; quam lux æterna Parentis
Æterni tulit ex utero, mundóque refudit,
elleret ut tenebras, & pura reduceret aſtra,
tque viam clauſi radijs ſignaret Olympi.
Nam Tyburtinæ recolens oracula Vatis,
ntegra cujus adhuc noſtris monumenta manebant
emporibus, fati memini legiſſe futuri
armina, quæ veſtros adeo referantur in annos,
ptatæque trahant ſecum læta omnia ſortis.

Commemoro, ſit certa fides. Vbi dena ſalutis,
Senaque ſe dederint æternæ ſæcula, & annus
Poſt quinquagennum quintus decurrerit Orbi,
Alter Alexander, Magno qui maior, ab urbe
Senarum, claro Chiſiæ de ſtipite Gentis
Adveniet, qui Roma tui moderetur habenas
Imperij, Cœlóque ſimul det jura. Coronæ
Aſpice tergeminum decus, & venerabile ſacræ
Majeſtatis opus. Divinum ſpirat honorem,
Et retinet, meritiſque parem ſe faſſus honori,
Explicat occultas fæcundo in pectore dotes.
Agnoſce ò faciem! nivei frons illa pudoris
Signa refert, dejecti oculi dant ſigna modeſtæ
Mentis, & oblatos vix admittentis honores.
Non aliam vellet virtus ſibi ſumere formam,
Virtuti ſi forma foret. Speciosior intus
Forma latet, nobis occulta, at cognita Cœlo.
Scilicet hunc plenis cæleſtis gratia rivis
Imbuit, exhauſtis virtutum fontibus: omnes
In vaſtam coiere animam; vix dona capaces
Implevere ſinus; nec ſuffectura putarunt
Se gremio, laxè venere, & mole remiſſa
Æquarunt ſpatium, ſed enim vis illa decebat,
Quæ per membra foret ſpargenda fidelia: ſoli
Nam vivit non ille ſibi; cunctáſque fovebit,
Contineat quantas Romana Eccleſia partes.
Olli acre ingenium, vis mentis acuta, gravíſque
Iudicij pondus, rerum experientia, & altum
Conſilium, prudens ſolertia, copia fandi
Aurea, multiplicis præclara peritia linguæ,
Doctrinæ omnigenæ collecta ſcientia, juris
Divini, humaníque decens prudentia, & artes

Eximiæ.

Eximiæ. Excelſa per ſidera ſumma volabit
Indole magnanimus: non illum adverſa movebunt,
Proſpera nec tollent: librato pondere neutrò
Inclinans, ſervare modum, mediúmque tenere
Diſcet, & ambiguos fortunæ expendere caſus.
Ille manu & laurum, & mitem prætendet olivam
Pacis amans, bellíque ſciens; ſed prælia pace
Componet, non ante togæ feret arma, furores
Comprimet audentum: faſtus non ille ſuperbos,
Non iras, rabiem ve feret, miſeríſque favebit
Pauperibus; contemnet opes, inopéſque levabit:
Iuſtaque priſcorum ſtabit doctrina Quiritum:
Pace fovere humiles, armis frænare ſuperbos.
Maxima cura fides: caſtis hanc ille tuendam
Moribus excipiet, puram ſervabit, & omni
Exempta maculâ, bellóque, & pace juvabit:
Vt faciat, ſocios ſuperum vis provida mittet,
Fulcra ſuæ, floréſque domus, à ſanguine cretos
Illuſtri Chiſiæ Gentis, quam longa per annos
Sexcentos veterum ſeries commendat avorum,
Quorum multiplici decorantur imagine Senæ,
Vrbs Etruſca*, potens armis, ſtudijſque Minervæ*
Clara, duos vaſto quæ fæta capacior orbe
Edet Alexandros utero: ſed Maximus ille eſt,
Qui Chiſia de gente venit, cui ſidera donant,
Quî cum partiri curas, & munera poſſit
Imperij, Fratrem: Marium quem nomine dicent,
Sanguine qui ſuperet, factiſque ingentibus æquet
Romanum Heroem. Sacra hic moderabitur arma,
Iura dabit, legéſque foris, & bella movebit
Cuncta ſupercilio. Viden? ut vexilla revolvat
Sacra manu, cieat turmas, & prælia poſcat.

 Impa.

Impavidus? Turcámque hoſtem, populumque rebellem
Hæreticum frænóque premat, ferróque laceſſat?
Huic comes, alterius Fratris qui filius, ibit
Arma tenens, ſpiránſque minas: ſtat culmine turris
Angelicæ, cuſtóſque arcis, ductórque manipli
Egregij, cui ſumma fides, cui credita Romæ
Clavis, ut intrantes propellat, & arceat hoſtes.
Hunc Auguſtinum felici nomine dicent,
Auſpicijs Aquilæ: quantum prior ille volavit
Ingenio, tantum hic animis, & Marte valebit.
Huic latere ex alio ſoboles præclara ſororis
Egregius Iuvenis, Bichiæ de ſanguine Gentis
Iungitur, effulgens Legati inſignis honore,
Crux Melitæ quem clara notat, quem Martis imago
Viva decet: dux ille olim, bellíque peritus
Adveniet; quod ſacra cohors Melitenſis in alto
Exercet, rapidis invecta triremibus. Ergo
Actiacos partâ renovabit pace triumphos,
Exitium Turcíſque ferens, referénſque trophæa,
Edita quæ ſummo Capitoli in vertice figat.
Quis procul ille autem? qui rubro inductus amictu,
Sacra gerit? læves humeros it purpura circum,
Ad talos demiſſa, ſinus effuſa crepantes,
Lunato cui mitra caput diademate cingit?
Ille ſatus Mario: ſed non tamen ille Parentis
Effigies; Patruum aſſimilat, Patruúmque ſecutus,
Hujus adeſt lateri, ſumítque ex ore vigorem
Sidereum. Noſco Iuvenem. Tu Flavius ille es,
Vnus qui Chiſijs ſacratam conſtitues rem.
Illi acies, & bella volunt, tu mitia pacis
Munera; Romanæ tu Religionis honores
Expetis, & Patrui veſtigia ſolus adoras.

Hic

Hic te Purpureis donabit Patribus, annos
Præveniens; quoniam meritis tu grandibus annos
Prævertes, viridi referens ætate ſenectam.
O felix! Patrui lateri qui adjungeris, ori
Ut ſacro de fonte bibas oracula! morum
In vultu qui jura legas, formâmque pudoris!
Qui gravium partem curarum, & pondera rerum
Suſcipias, feſſúmque leves, & ferre parantem
Totum onus Imperij, quo mens humana fatiſcit,
Herculeo de more juves, moneáſque laboris!
Quamquam Atlas, & quamquam humeris ingentibus (Orbem
Suſtineat, ſocium fas eſt optare nepotem.
Nunquid Alexandrum ſocium admiſiſſe pudebit?
Cujus & Atlantem haud puduit? cùm machina noſtro
Maior Alexandro, quam quam ſuſceperit Atlas,
Incumbat? Cælum iſte tulit; pars cætera Mundi
Defuit, & gravior: toto ſed pondere Mundum,
Quin pars ulla vacet, Cælúmque, & ſidera collo
Portat Alexander. Comitem admiſiſſe Nepotem
Ne pudeat; juris pars eſt minuiſſe laborem.
Viribus Herculeis Patruo ſe Flavius addat,
Et conſtabit onus, ſtabítque his fulta columnis
Sacra Domus Petri. Gens Chiſia profert aras,
Quâ Notus, & Boreas diverſo è cardine perflant;
Quâ ſe Oriens aperit, quâ Sol ſe condit in undis
Occiduis: monſtra Hæreſeon, Erebíque fugabit
Prodigia, & celſis in turribus arma locabit
Chriſtiadum, figétque Crucis venerabile ſignum,
Prona quod aſtra colant, Tellus tremat, Orcus adoret.
Hæc ego vos moneo Capitoli è ſede Quirites,
Quæ Tyburtinæ totidem ſunt verba Sibyllæ.

LAVRVS HARCVRTIA TRILAVREA
EXCELLENTISSIMO
PRINCIPI
D. D.
LVDOVICO
LOTHARINGICO
COMITI
ARMINIACO
SERENISSIMI
PRINCIPIS
D. D.
HENRICI
LOTHARINGICI
COMITIS
HARCVRTIJ
FILIO PRIMOGENITO
DICATA.

LAVREA I.

Ecquem belligero ſpirantem Martia vultu
Fulmina, & armato revomentem è pectore flammas,
Eructantem ignes generoſi turbinis æſtu,
Inflammantem acies, ſpargentem incendia campis,
Atque ſuperſtantem cumulatæ ſtragis acervos,
Te memorem! Rurſum egregia decus ore ferentem
Æthereum, gratóſque oculos, geminata cientem
Sidera, purpureáſque genas, frontémque nivalem,
Labraque mixta roſis, formæque inſignis honorem
Monſtrantem, & pulchro rapientem pectora viſu,
Ecquem te memorem! tales agit ore Cupido
Mixtus Marte vices! terrórque alternat amori!
Terrori reſpondet amor! Stant fœdera vultu
Irarum, decoríſque uno: duplicíque periclo
Eſt facies: terrore ferit, incendit amore;
Et duplicem portat geminato vulnere palmam;
Seu timeas, ſeu rurſus ames: eſt Marte decorus;
Eſt & Amore ferox, utroque & munere victor.
Scilicet, hic Princeps eſt ille Henricus, avorum
Sanguine deducto, deducto & nomine Regum,
Quos Domus antiquo peperit Lotharingica trunco.
Vnde venit propria jactantior arbore ramus,

Qui victrice comâ celſis caput inſerit aſtris,
Luxuriátque polis, & ſidera protegit umbrâ;
Exemplar, ſoboléſque Ducum, Dux Maximus ille
Harcurti Comes, Herôum vis æmula, Phœbi
Sudor, onus Famæ, laurúſque animata, trophæum
Mobile, vivus honos palmarum, & gloria vivax.
Hunc olim reptantem animis bellacibus aſtrum
Martis agens, duxit per bella, per arma, per ignes,
Pérque acies, pérque inſidias, docuítque periclis
Objectare caput, faciéſque laceſſere mortis:
Erudijtque manus victricia tollere ſigna,
Laurigerúmque referre decus. Nec deficit aſtrum
Mercurij, quod blanda ferat documenta feroci
Ingenio, reddátque togæ. Stat mentis acumen,
Iudicij pondus, vis provida, vivida virtus.
Excludítque moras, canos puerilibus annis
Prætulit, ætatem prudentia vicit, acerbas
Irriſit matura dies: mox Palladis artes
Edidicit, teneráſque dedit doctoribus aures,
Et Sophiæ libavit opes. Vigor otia rupit
Martius, injecítque manum Bellona legenti,
Traxit & averſum, rigidíſque immiſcuit armis.
Viderat excelſam puerili in corpore mentem,
Invictúmque animum: deprenderat ore minarum
Cauta notas, ſubitóſque ignes; pectúſque micare
Senſerat in flammas, niveúmque igneſcere vultum,
Nec ſpinis caruiſſe roſas: habitúſque placebat
Corporis ad pugnas habilis: firmata videbat
Membra toris, nexóſque artus, conſtantia certis
Oſſa locis, nervis compacta, & plena vigoris,
Denſa, & juncta ſibi: non vaſta in mole ſoluta,
Non parvis contracta modis: ſed juſta decenti

Corpo-

Corporis in ſpecie, rectæque in limite formæ;
Præſtantis quæ digna Ducis; quæ Martia quondam
Romuleis ſignata viris. Hanc reddidit olim
Hector apud Teucros, hanc Hectoris hoſtis Achilles:
Hanc & Alexander: tali ſe corpore Gaſto
Foxius Italiæ fulmen jaculatus: eadem
Mole Ducis Magni meruit Gonzalus honores.
Hac Expugnator ſeſe Lautrechus agebat:
Hac ſe Luſiadum tulit Alburquercius Heros:
Hæc placuit Superis. Hac vidimus ire cruentis
Paſſibus incendentem acies, urbéſque domantem,
Sceptra ſibi gladio repetentem debita Magnum
Henricum, noſtro retulit qui tempore Martem.
Nec reliquas natura notas, & ſigna negavit
Bellica; vis, oculis inerat quæ Cæſaris, intus
Lumina ſuccendit: roſeus rubor ille genarum
Pompeij micat in facie: ſtat Martia frontis
Gloria Scipiadum; veſtigia parciùs iræ
Accipit Annibalis, feritas ne Punica vultum
Inficiat; totum Pyrrhi capit ore vigorem:
Sic feritate decor, feritas ſic mixta decore!
Hoc habitu ruit in bellum; comitéſque ſequuntur
Larga manus; faciléſque aditus, frontiſque benignæ
Candor, & in vultu ſcriptus favor; apta facultas
Eloquij, coméſque modi: clementia partes
Has tenet. Has iterum virtus ſibi vendicat æqui:
Dicere jus, verſare ſcelus, punire nocentes,
Furta coercere, & pravos excludere mores,
Virtutum ſtimulos animis immittere, calcar
Addere, & invicto retinere in robore leges.
Natus ad imperium dotes trahit. Vndique cogit
Diſtantes ſpatijs, ſed pectore colligit omnes.

Ergo

Ergo Ducem dedit ante, foret quàm miles in armis,
Eſſe Polus: puduítque moræ: matura jubebat
Sic virtus: nec prima pati, ſed ſumma tenere
Munera. Qui reliquis & finis, & exitus, olli
Principium fuit; haud didicit Mavortia campo
Officia; hæc caſtris ſecum nata intulit: artem
Indole præveniens. Cùm primo in pulvere Ductor
Conſtitit, explevit numeros: bellique peritus
Caſtra locans, ſignare ſitum, qui tutus ab hoſte,
Qui melior campo: caſtris circumdare vallum
Vndique, & ingentem vallo ſuperaddere foſſam.
Educens aciem, peditum formare phalanges,
Ordine quamque ſuo diſponere: certa notare
Quæ teneant campo veſtigia: fronte locare
Pugnaces, curſúque leves, quos primus in hoſtes
Impetus effundat; mediúmque relinquere firmis
Haſtatis, qui tela tenent intenta, ferocem
Averſura hoſtem, ſi ſe acriùs inferat: inde
In geminas acies alas expandere, turmas
Ardentes equitum deducere cornibus, agmen
Subſidijs firmare novis, impellere in hoſtem,
Et ſtimulare gradus, & tota incumbere mole;
Adverſámque urgere aciem, pulſámque fugare:
Mox inſtare fugæ, & toto diſpellere campo;
Caſtris exuere, & diſperdere funditus hoſtem,
Vt vincat, partæque utatur munere palmæ;
Non uti Cannenſi Dux Pænus in æquore victor.
Nec minùs ille urbes oppugnat, & obſidet, artis
Conſcius omnigenæ: ſeu furtim incedere cryptis,
Atque ſinus terebrare ſoli, & ſecreta viarum
Pandere; ſulphurei quâ copia pulveris ignes
Deferat in muros, ſubitáque in ſtrage ruinam

Concitet,

Concitet, armatus veniat quâ miles in urbem:
Sive audere palàm, muróſque invadere aperto
Pectore, pérque globos, atque ignea fulmina, & imbres
Telorum obniti, ſaltúque evincere foſſas:
Ardua mox celeri conſcendere mœnia niſu,
Deturbare acies, denſam nudare coronam,
Mox ſeſe in mediam demittere mœnibus urbem:
Agmina fuſa ſequi, tergóque inſiſtere, ſummam
Prendere quo poſſint mixti fugientibus arcem.
Artibus his vires, indefeſſúmque vigorem,
Virtutémque animi, bello inſuperabile robur
Addidit. Haud illo quiſquam patientior æſtus,
Algoríſve fuit: nemo ſuperare labores
Fórtior, aut perferre famem: diſcrimina primus,
Otia poſtremus ſubijt, propiórque periclo
Semper: ubi Mavors ſe pulverulentus agebat,
Sanguis ubi, cladéſque virûm, turbóque pilarum
Fumeus, involuens peditúmque, equitúmque catervas,
Multus ibi pugnare Comes, cunctíſque videndum
Se varijs præbere modis: per tela, per ignes
Exemplo ire ſuis, atque hoſtibus ire timori
Nobile tota fuit virtuti Europa theatrum,
Mars vbi ſanguineo miſcebat prælia campo.
Ardentem gladio timuit Germania dextram
Fulmineo; ſenſitque Iovem de parte tonantem
Gallorum, Comitis cùm fulgura vidit in enſe,
Et geminare ictus, & fervere funera ferro.
Hoſtis ad aſpectum concuſſa Bohemia, pugnam
Horruit, abjecitque caput: Praga territa viſu
Diriguit, poſuitque minas, Martémque putavit
Incubuiſſe ſibi, cùm ſtrata cadavera campis,
Fumantéſque lacus, rivóſque undare cruore

Deſuper

Deſuper aſpexit; nec ſeſe agnovit in armis.
Flandria mox mirata Ducem, cùm repere lauros
Ad plantas, viridéſque ſequi veſtigia palmas
Vidit, & implicitis frondeſcere tela trophæis.
Gallica ſed jam bella vocant, patriúſque requirit
Mars Comitem, Numénque maris. Rhea ſenſit in undis
Inſula bellantem; Rupémque experta ſub armis
Illa ferox Iuvenem Rupella: inſigne laboris,
Et virtutis opus; ſtupuitque in Principe, mucro
Ut ſemel intepuit; quo fulmine tacta redegit
In cineres faſtus, atque ardua colla catenis
Induit, & Regi dedit oſcula debita plantis.
Paſſibus ecce novis ſequitur veſtigia Martis,
Alatus virtute volat: ſuper ardua tendit
Culmina; & anguſtis ſe cautibus inſerit, unde
Latiùs excurrant animi: jámque aſpera Suſæ
Clauſtra manu, vectem Italiæ, nodúmque revellit,
Atque Xivas urget violentis viribus, obſtent
Ne ſibi, jam turmas Latio, jam bella ferenti.

LAVREA II.

FAllor? an aſpicio gratantia Numina Ponti
Ire, natare ſalo, feſtíſque errare choreis,
Blandiríque ſibi, quòd munera prima regendi
Debeat arma ſalo, victo quòd gurgite prima
Nautica ſit, lætam quæ cingat adorea frontem.
Scilicet extremi quâ Gallica littoris ora
Spectat in Italiam, duplex ſeſe inſula pandit,
Vix tenui diviſa freto; brevis addita ponto
Appendix terræ; quarum altera nomine Divi
Gaudet Honorati: pretioſæ hinc altera nomen

Virgi-

Virginis oſtentat, dirus quas ceperat hoſtis
Artibus ingenitis Hiſpanus, & arma parabat
Littoribus; ſed Ductor adeſt Harcurtius, infert
Se pelago paucis comitatus navibus; unus
Sed claſſis tamen inſtar erat: mox fulminis ictu
Per medias glandes, tormentorúmque procellas
Deſilit in littus, mentitáque fulmina temnit;
Verſat, agitque hoſtes, momentóque occupat arces;
Tota abit in vanos Hiſpana ſuperbia ventos;
Victor & in medijs Harcurtius imperat undis.
Extulit attonitus fundo caput æquoris imo
Neptunus diſtincta gerens diademata gemmis
Roſtrorum in morem; queis tempora celſa coronat,
Et jubet eſſe maris, tempeſtatúmque potentem;
Excipit & curru, dátque aurea ſceptra Tridentis:
Victori famulantur aquæ, nutúque domantur
Æquora. Sardiniæ tremuerunt littora vultum
Fulmineum; toto cum victor in æquore, terris
Imminet, & timidos ferro, & face territat hoſtes.
Senſit Oriſtanum, quanto Comes urgeat hoſtem
Pondere, quàm validos inducat in arma lacertos.
Trinacria ingemuit vicino à fulmine, ternas
Curvavêre metu tria promontoria turres.
Iámque utroque mari circumtulit arma, trophæis
Arduus erectis: tum ſeſe oſtendere terris
Inſtituit, firmóque Ducem præbere theatro.
Cerne per Alpinas hyemes, fluctúſque nivales,
Concretíque ſalis cumulos, rigidáſque procellas,
Effuſóſque imbres, ſupráque, infráque minantes
In caput, ínque pedes; ventóſaque turbinis atri
Flamina, qui nunquam faſtu maiore ſuperbit.
Per montes, pérque anfractus, pérque invia ſaxa

Ire

Ire viam, præeuntem acies; ſed Martius ignis,
Quem jacit ore, oculis, nivium concreta reſolvit
Frigora; quódque minùs Solis potuêre calores,
Hoc ardore animi potuit Comes: ille nivoſos
Diſpulit igne obices, & cerea ſaxa reliquit:
Gallicus Italiæ ſic Annibal intulit arma;
Alpinis disjecta jugis, ſuperire procella
Hiſpanum præviſa caput: timuere minantem
Exitium fatale acies; turbatus in armis
Conſtitit Hiſpanus, venientémque obvius hoſtem
Aggreditur, duplicátque acies, hinc inde revolvit
Arma ferox, unúmque petit ſeptena ferentem
Millia, diviſus cum plura immitteret hoſtis.
Aſt impar numero, maior ſed viribus ambas
Invadit, fundítque acies, diſtantia cogit
Caſtra coire fugâ: mors eſt communis utriſque
Hoſtibus, inque uno cæſi cumulantur acervo,
Tantus ineſt uni Comiti vigor! omnibus unus
Par animis; ſimplex minor eſſet laurea fronti,
Palmarum quæ juſta ſeges. Quierenſis in ævum
Gloria floreſcet duplicato fænore laudis.
Sic geminat palmam, geminúmque ex hoſte triumphum
Victor agit. Sunt illa tamen præludia Martis
Ad Caſale novi: maiora Harcurtius audet,
Quàm Bellona parat. Videas Hiſpana virorum
Robora ſtare acie, cladémque armata minari
Nixa ſibi: duce fræta ſuo; fiducia fato
Creſcit; in Italicis quando regionibus olim
Sæpius Hiſpanis Gallorum infringere vires
Poſſe datum (fortuna fuit) reddítque ſuperbos
Fama ducis, quem palma recens Norlingia lauris
Juncta novis, implétque animis, ſtimulátque furore.

Scilicet

Scilicet ille præeſt Dux Leganeſius armis
Præſidium Heſperijs, quo ſpes Hiſpana recumbit:
Sed Comitem nec fama ducis, nec fata morantur
Gentis: agit turmas, urgétque interritus hoſtem,
Fortunam virtute premens: igneſcere dextram
Fulmine conſpiceres, totúmque incendere campum,
Quâ ruit, ut ſtrictus videatur Orionis enſis.
Fit clades fervente viâ: ſtat ſemita ferro
Tota calens, ſtridétque igni, fumántque cruore
Corpora fuſa ſolo; præeuntem Gallica pubes
Inſequitur mirata facem; furit ærea Martis
Pulvere tempeſtas, acies Hiſpana fatiſcit,
Solvitur, ínque fugam rapitur: dux ipſe ſalutem
Credit equo, non ante fugax: calcaribus urget
Præcipitem, nubémque aptat ſibi pulveris; illâ
Tectus abit, puduítque minus. Cumulantur acervi
Cæſorum; tantam capiunt non arua ruinam.
Hoſtibus inſultat Fortuna trementibus; aſtra
Et mutata docet, fatúmque oſtentat in enſe
Magnanimi Comitis, quo ſidere Gallia vicit,
Et vincet, quoties ferat arma, & pugnet in hoſtem.
Aſpice feſtivis ardentem plauſibus urbem
Effuſam ruere ad portas, Comitémque triumpho
Excipere, & palmas, lauróſque afferre comantes,
Dant pedibus calcare roſas; via florea plantis
Blanditur, ſolvit ſe nectare nimbus odoro
In caput, ingeminat ſuffitibus aura vapores
Ambroſios, læto circumdatus agmine Ductor
Ingreditur; victrix optatur ad oſcula dextra:
Concurrunt, celerántque gradus, reputántque beatos,
Qui propiora tenent: aliud movet ille; triumphos
Spernere, ferre preces ſuperis, altaria donis,

Et vacuos onerare tholos, gratéſque Tonanti
Reddere, ne qua ſibi tribuatur gloria palmæ.
En alius nitor exoritur, lux altera pulſat
Lumina. Mars fervet, quâ celſa Sabaudia tollit
Culmina: murales video fulgere coronas,
Certatim redimire caput. Tibi ſubdita Buſqua
Colla gerit, vinctáſque manus, præbétque catenis
Oſcula. Droſna ſubit, genibúſque admiſſa remordet
Fræna injecta ferox, legéſque, & jura jubentis
Excipit, & faſtus devicta expumat inanes.
Cedit adhuc retinens veſtigia Cauna furoris,
Irarúmque recens: non fortia mænia, turres
Non illam validæ, non propugnacula, vires
Nec populi, mixtæque acies potuere cadentem
Siſtere; ſenſit onus victoris, & arma remiſit,
Accepítque jugum: minuit ſed clara pudorem
Fama Ducis; ſocijſque ſuam ſolata ruinam
Cladibus. Hiſpanas acies in pulvere ſignis
Proſtratis lapſare videt; fumare cruentis
Arva cadaveribus; dominari funera campis.
Sed maiora licet ſpectacula cernere Martis:
Regia Turini ſubeunt quâ mænia Cœlo,
Antiquum teſtata decus, moléſque recentes
Objiciunt, ars mira quibus circumdedit urbem,
Ne quâ hoſtis ſe ferre queat: ſuccedere ſeptis
Septa vides, foſſas foſſis, & mænia muris,
Vndique muniri, claudique, aditúmque negare
Paſſibus, & densâ ſeſe ſtatione tueri.
At nihil invictum, nihil inſuperabile Ductor
Eſſe putat: quò plura vetant, hoc fortiùs arma
Ingerit: aſpicias ſubeuntem ſepta, volantem
Aggeribus, foſſiſque ſuper: non ulla morantur

Clauſtra, nec oppoſitæ valuere obſiſtere moles,
Aſpectu ceu cuncta domet. Mox enſe recluſo
Aggreditur, ſternítque hoſtes, gaudetque ruinâ
Ire ferox, calcare acies, Cælóque propinquos
Ferre gradus: hoc ille habitu ſuperaſtitit urbem
Attonitam, ſuperiſque velut dimiſſus ab aſtris
Terruit: illum adeo venientem in tecta patentes
Excepere domus; tenuit præſentia cives
Martia, & in tanto coluerunt Principe Numen.
Nec jam illi portas, ſed amantia corda recludunt.
Turinum Italiæ laurorum hîc terminus eſto.
En nova palmarum jam te ſeges optat, in arma
Provocat. En patrios juſſus defendere fines
Victor agis patriæ clypeum. Telamonius Ajax
Non magis ad Troiam texit bellator Achivos,
Quàm tua Gallorum protexit dextera fines.
Te pavidi tremuere hoſtes: ſe limite clauſi
Continuere ſuo. Caletia mœnia teſtor
Hoſtibus innocuis victricia: tecta propinquæ
Arteſiæ teſtor, vix dum tentata feroci
Hoſte ſemel, cùm ſtrage acies videre repulſas
Accelerare fugam. longéque recedere campis.
Tam virtus ſpectata Ducis! Non civibus ille
Solùm jura dedit: leges dedit hoſtibus: illos
Subdit amor; vindex agit hos in vincula terror.

LAVREA III.

SED jam aliò te fata vocant, Comes Inclyte: Pallas
Invida Mavorti, ſtuduit ſubducere bello
Victorem, ſtudijſque togæ te reddere: Paci
Arbiter ut præſis, Mavortis ut arbiter olim

Suſpex.

ſuſpendiſti acies. Superis tibi deſilit aſtris
Mercurius, virgámque dedit, juſſitque ſupremum
Munus obire togæ: cedens tibi jura remiſit
Legati, ſervúſque tuis ſe paſſibus addit.
Hoc habitu admirans, te ſuſcipit Anglia Pacis
Aligerum, Martis quem quondam acceperat armis
Fulmen; & ore notas retinentem, & ſigna triumphi
Dilexit, timuitque ſimul: gratatur, amicus
Quòd venias, non arma movens, ſed dulcia Regis
Iuſſa ferens: namque hoſte minor tua bella timeret,
Exitiúmque ſibi protenderet. Ardet amore
Gallorum, quod blanda Ducem ſibi miſit inermem
Gallia, quem ſumptis Europæ immiſerat armis.
Ergo ſoluta metu gens Anglica cedit amori,
Victorémque novâ Comitem ratione fatetur,
Laurea ne deſit conſueto vincere: corda
Vt ſubigat, palmámque ferat nunc victor amoris,
Qui quondam tulerat proſtrato ex hoſte trophæum:
Bello hoſtes aliàs, modò pace triumphat amicos.
Iámque iterum Mavors te provocat: ardet Achillem
Te bellis verſare novis; ſed mitior obſtat
Mercurius, mavúltque togæ te involvere blandis
Muneribus, pugnántque pares: ſibi quiſque repoſcit
Te comitem; ſed utrúmque jubet deſiſtere cæptis
Iupiter, & dirimit maiori Numine pugnas;
Deſignátque tibi, quæ proxima munera Regi:
Pacis ubi tractare queas, bellíque viciſſim
Officia, & partes geminas implere togati
Principis, invictíque Ducis. Catalonia felix
Te Prorege caput cælo inſerit, aſtra laceſſit
Celſior aſſueto: pacis cui jura miniſtras
Dulcis amore togæ. Recto tu pondere libras

Munia juſtitiæ, pænáſque, & præmia poſcis:
Invitus pænas, hilaris ſed præmia reddis
Civibus, Aſtræámque refers: veſtigia retro
Convertit fugiens, tecúmque redivit in urbes.
Hæc, Duce te, leges populi, moréſque probavit;
Otia ſed rumpit violento Numine Mavors,
Inſpirátque faces, reſidémque impellit in arma.
Mente ingens verſat facinus, molitur & arcem
Expugnare Roſas, quo nullum fortius extat
Præſidium. Iubet ire Ducem, qui mænia cingat
Obſidione gravi: ſenſerunt Gallica turres
Fulmina, & invictis ceſſerunt mænia dextris.
Aſt dolor attonitos excivit ſedibus hoſtes,
Arma furor, vis arma movet: coïere phalanges
Hiſpanis accenſa odijs. Cantelmius urget
Dux acies, repetúntque Roſas. Prævidere tentant
Auxilijs Proregis iter, quâ Segrius amnis
Volvitur: inſidunt armato milite ripam.
Nec ſatis: adjiciunt ſaxorum pondera, rupes
Advolvunt, caſtríſque adhibent munimina, moles
Opponunt: natura loci defenditur arte.
Vix ſteterant, cùm Ductor adeſt Harcurtius: alas
Cui Bellona dedit. Superatâ ambage viarum,
Conſtitit ad ripam; medius ſed dividit amnis
Oppoſitas acies: furit igneus, & vada tentat
Vincere. Non alias unquam via facta per undas
Aſſimilis! tendunt longos à margine funes,
Et ductos fluvij ripâ ulteriore refigunt.
Ocyus attonito pons ligneus incubat amni.
Nec mora, trajicitur miles funambulus, undis
Deſuper inſultans, acies mox danda theatro,
Hiſpanus cui ſcæna cruor. Stupor impulit hoſtes,

Bella-

Bellantum quàm dextra, priùs; ſed prælia miſcent
Cruda tamen, non tracta diu; puduítque morarum
Invictas Gallorum acies, hoſtémque fugarunt
Momento; ſtragemque cient: cumulantur acervi
Cæſorum, impediunt projecta cadavera ripam,
Laurentíque aliâ celebratur adorea lauro.
Nec ſatis: excurrunt victricia ſigna per agros,
Pallantéſque premunt armatis paſſibus hoſtes:
Balaguier ſtat meta fugæ; quo limite fortes
Conantur frænare acies; ſed carcere virtus
Gallica non premitur. Circumdat mænia, cingit
Obſidione locum: commota Hiſpana periclo
Curia contremuit. Vires jubet undique cogi
Urbis in auxilium: Rex territus utitur aſtu,
Et revocare novâ parat obſidione phalanges
Gallorum, Fliſſámque petit maiore periclo,
Et quatit, hærentem vellat quò mænibus hoſtem.
Tranſtulit arma Comes, celeríque ad Fliſſia paſſu
Mænia contendit, ſolóque hoſtilia viſu
Agmina diſſolvit: fugientia Fliſſa tuetur,
Irridétque minas, & inania tela refutat.
Hinc rurſum movet arma Comes, repetítque relictum
Balaguieris opus: premit undique & undique torquet
Mille modis; donec concuſſa potentibus armis
Subdit colla jugo. Comiti victricia plaudunt
Agmina: in Heſperias latè timor ingruit urbes,
Vicinámque timent Aragonia rura procellam.
Hæc movet arma foris Dux inclytus: altera vincit
Bella domi, quæ fraude movet, converſus in aſtus,
More ſuo, dum Marte minor, dum debilis armis,
Callidus Hiſpanus: ſummam qui involvere certat
Seditione Urbem; ſtudia in contraria vulgus

 Scindere,

Scindere, civiléſque faces accendere belli
Apparat: invictus tamen hæc incendia Ductor
Subſtulit, armorum belli, pacíſque peritus
Arte domi; celſam redimit nova laurea frontem.
Armatus campo Dux imperat: urbe togatus.
Sed quid ego aſpicio medios vexilla per hoſtes,
Atque acies revocare ſuas, caſtriſque relictis,
Ire viam? viden, ut totis ſeſe ærea campis
Tempeſtas hoſtilis agat? ruit undique nimbus
Hiſpanorum equitum, peditúmque, & mole fatigant
Cedentem, teliſque premunt, ſtragémque minantem,
Impediúntque viam, variiſque aſſultibus urgent
Hinc, inde, ut ſolvant acies, atque agmina rumpant.
Ille tamen lento referens veſtigia paſſu,
Cedit agens ſocios, ſervatóque ordine, turmas
Denſat, & invigilans huc ora obvertit, & illuc,
Caſtigátque hoſtem, ſi quando effuſius audet
Currere, & objectis venientem intercipit armis.
Haud patiens exire ſuos, collecta reducit
Robora, clauſa tenet; via nulla relinquitur hoſti,
Qui fremit, & faſtu circum ſe oſtentat inani.
Scilicet hæc illa eſt partæ nova gloria palmæ
Ad Leridam: durâ quam cùm obſidione teneret,
Urgerétque fame, poſitis ad mœnia caſtris,
Conſtanti virtute Comes, ruit excita bello
Undique collectis Hiſpania viribus; hoſtem
Quo Gallum removere loco, depellere ſeptis,
Caſtris exuere, & campo terere agmina poſſent.
Incumbunt igitur vi magnâ, & ſepta revellunt,
Concutiunt vallum, ferróque, ignique laborant
Moliri per clauſtra viam, caſtriſque potiri.
Sed Comes invictis ſeſe objicit igneus armis,

Tella, necémque ferens: ſubeuntibus inſtat, & urget
Præcipites, foſſáſque replet, cumulóſque jacentum
Objicit; audaces aggeſta cadavera frænant.
Hoſte procul pulſo, victor ſua caſtra tuetur;
Mox recipit ſine cæde ſuos, tutúſque pericli
Cedit, & oppoſitos ridens circumſpicit hoſtes,
Servatóque novam ſibi vendicat agmine palmam;
Marcellúmque refert, caſtris dum fulminat hoſtem;
Dum cedit, Fabium: ſtat munere Cæſar utroque,
Victor, & invictus: geminat prudentia famam.
Vincat ubique Comes, jurant ſua ſidera: ſemper
Viſus hic Hiſpanos Gallus ſuper ire Leones.
Qualem te meritis redeuntem in tecta triumphis
Excepit Regina, Comes! qua nulla refulſit
Clariùs in ſolio, nec jura potentiùs Orbi
Dixit, agens uno Fortunam, & ſidera nutu.
Illa domo dignata ſuâ te degere; Regum
Te cepere lares: nec enim privata domorum
Tecta triumphantis caperent tot præmia lauri.
Felices auguſta decent pallatia: palmis
Creſcent illa tuis: Rex hac Ludovicus in umbra
Tutus erit, diſcétque aſtris bellare benignis,
Et ſecum tua fata feret. Tu munere clarus
Hipparchi, victoris ages in ſidera currum,
Hoſtibus edomitis. Duce te, faſtigia rerum
Prendet, & attonito leges dabit arbiter Orbi.

STATVA EQVESTRIS LVDOVICI DECIMITERTII.

ÆREA VITA, ÆNEA

FAMA, ÆTERNVM MONVMENtum, immortale trophæum, affabricata poſteritas, Auguſti Regis Ludovici Iuſti juſta effigies, Martia imago,

Tuba crepans aſpectu, lingua ſtupore ſonans, vel muti vox metalli loquaciſſima,

IN REGIO FORO LOCATA, IN immortalitatem Regis, in famam urbis, in Orbis miraculum, in ſuorum gaudium, in externorum admirationem, in hoſtium terrorem.

EMINENTISSIMO CARDINALI DVCI Richelio, in cujus ære eſt aurea Gallia,

D. C. Q.

EMINEN-

EMINENTISSIMO CARDINALI EPIGRAMMA.

EN Armande tibi ſe Regia ſiſtit imago,
Ærea, vocali ſed tamen ære loquax.
Ferreus eſt hoſti Rex, civibus Aureus: ære
Qui tegitur Princeps, aurea ſecla parit.
Ille armatus agit virtute, & robore Martem,
Spirat & audaci vivus ab ære notas.
Vel deſcriptus amat formoſa pericula belli:
Pulchrior a Martis fulmine forma venit.
Vt meliùs vivat, te mentem Armande requiro;
Hanc adhibe, fortem dum movet ille manum.
Tu mens conſilijs, manus ille eſt robore: rurſum
Tu manus es, partes hic quoque mentis agit.
Alter in alterius ſuccedunt munera: utrique
Vnica mens, idem ſpiritus, unus Amor.

EQVVS LVDOVICI

Machina, quæ totū complectitur ardua Circum
Indignata locum, ſpatiique infenſa minoris
Finibus: hanc veteres non æquavere Coloſſi,
Hanc ſtupuere orbis ſeptem miracula, rerum
Turba minor; quam non humeris ingentibus Atlas
Ferre queat; non ſi ſocius conjungeret artus
Alcides: tanto ſub pondere preſſus uterque
Ingemeret, malletque ſuo ſubſidere Cœlo.
Ingens æris opus, quantum non ulla Cyclopum
Ars capiat: fertur pariter ſudaſſe Gigantes
Intentos operi, collectiſque undique nervis
Admoviſſe manus (quales cum prælia fratres
Terrigenæ movere Deis) Steropique ferocem
Brontem auxiſſe animos, Brontique Pyracmona vires.
Defeciſſe tamen, ruptis conatibus, omnes,
Centenaſque manus Briarei in vota vocaſſe.
Ipſum adeo perhibent ſtimulis ardentibus actum
Mulciberum, raptos mediis fornacibus ire
Inde procul juſſiſſe, rudes, reſideſque vocantem,
Authoremque operis ſeſe, Numenque dediſſe.

Tunc

Tunc iterum alterno ſubnixus crure, retorto
Sordidiore ſago, conceptas follibus auras
Reddere, & informem ſtridenti forcipe maſſam
Prendere, & acceptis candentem educere flammis,
Et geminare graves validis incudibus ictus,
Vulcanus citra Thetidos, Veneriſque rogatus
Viſus honore pari: nec enim minor urget Achilles,
AEneàve minor factis præſtantior Heros.
Unus Alexandro ſatis eſt, quo vivat in ære
Expreſſus faciem, mores, animumque Lyſippus.
At Noſter mortale nihil, nec futile voluit,
Numen amat, maîus de Numine concipit omen.
Fallor? an erubuit confuſus imagine tanta
Praxiteles, puduitque manus? quin ipſa Myronis
Bucula ſubjecit vivacis cornua frontis
Mortua vitali genio, ſed viva pudori?
Iam Polycletææ ſtupuerunt artis honores
Attoniti: Iſthmiaci periјt labor æris, & auri
Occupat ora color: pallent ſimulacra veneno
Invidiæ, vivo effigies moriuntur in auro,
Exanimes viſu. Phidiæ monumenta recedunt
In tenebras, ſtupuitque alto mœrore Minerva
Obruta, & attonitos demiſſa caſſide vultus
Condidit, atque unâ defecit imagine duplex
Noctua, victa die. Tanto ſe attollit honore
AEnea, quæ noſtro ſe tollit in aera Circo
Machina! Nonne vides, ut Regia ſurgat imago
Suppoſito ſublimis equo, ſervetque minaces
Ore notas, vibretque faces, & fulmina vultu
Bellica? ſanguineum ſpirat præſentia Martem,
Arma gravant humeros, totumque horreſcit in armis
Corpus: at arma decent, & amabilis ingruit horror

Senſibus.

Senſibus. Aſpectu dubites, an maior ab armis
Horror, amor ne fluat? capiat ne Cupidinis inſtar,
Mavortis ne fuget ſpectantum pectora? ponat
Arma ſibi, Mavors armorum horrore videtur;
Exuat arma, ſuis videatur amore Cupido:
Sed nunc Arma placent, & Martis imagine gaudet
Horridus. Undantem galeato in vertice ſylvam
Iactat apex, denſumque nemus, fæcunda jubarum
Congeries, criſpa ſeſe ambitione refundit
Per dorſum revoluta comas, ſylveſcit in ære
Luxuries criſtata, toris extantibus, aſper
Suggeſtus ſubit in cumulum, galeamque coronat
Undique, & in bruto vernat viror ære comarum.
Volvitur hac mixtus foliorum indagine ſerpens
Ductilis in gyros, caudæque volumina torquet
Per medias implexa jubas, pars ſumma comantem
Inſiſtit galeam, pedibuſque innixa reſurgit
Altiùs, & rigidas in cerea ſuſcitat alas
Ingenia; ire putes medium per inane volatu
Pennigero: non æra gravem, non pondera tardum
Efficiunt, fictus tenues ſecat impetus auras.
Sibila colla tument, exertaque lingua triſulcum
Fulmen habet, vibratque ignes, flammaſque coruſcat
Fumeus, unde vapor glomerat, nebulaque nitentem
Obſcurat galeam, partimque horreſcit in umbra
Triſtis ab exitio, partimque in luce refulget
Igneus, & tremulas vibranti lumine lauros
Indicat, & motus ſequitur bellantis, anhelat,
Cum calet in pugnas, cum deijcit arma, remittit
Fulmina. Seſſori, quæ ſola reſultat ab armis,
Lux placet, intendit ſublimem ad ſidera dextram.
Sive quòd aſtra notat, facili venientia curſu,

Sive

Sive quòd armatus celſis, dominatur in aſtris;
Sive quòd intenta jubet ire in prælia dextra,
Sive quòd eſſe jubet tranquillo fœdere pacem,
Arbiter armorum, belli, paciſque ſequeſter,
Cujus ad imperium ſuſpenditur orbis, ad ictum
Nunc oculi, capitis nunc motum intentus, ut illò,
Quò velit, inclinet, Ludovici ut ſola voluntas
Cuncta trahat, quóque ille volet, fortuna ſequatur:
Quid bellator equus? rigido ſe marmore tollit
Arduus, & lapidi medium ſe donat, haberi
Integer haud patitur, mediuſque aſſurgit in auras:
Pars melior reddit volucrem, pars altera reddit
Quadrupedem, lævum ſaxo latus hæret, & una
Nititur invitus torquens veſtigia planta.
Dextera pars, lapidem ceu dedignata, relinquit
Penè locum, ſummo teritur vix marmor ab ungue;
Offenſuſque fugit ſua per veſtigia ſaxum
Dexter equus; meditatus avem, jam liber in auras
Remigat, atque manum volucrem convertit in alam
Aere ſuſpenſus, jam ſidera provocat ungui
Plumeus, atque gravi ſe fortior excitat ære
Dædalus: hic molles didicerunt pondera ceras
Vincere. Non alio ſe Pegaſus ire volatu
Vidit, ab effuſo cum ſanguine Gorgonos ortum
Duxit, & alato ſuperans Heliconia curſu
Culmina, Pirenes in vertice conſtitit, unde,
Vix domitus, rurſum vacuas emiſſus in auras
Bellerophontæo tremefecit ſidera caſu.
Par animus noſtro, meliora ſed omina; novit
Quem ferat, & juſti patitur rectoris habenas
Cereus. Haud maior fuerat reverentia Regis
Bucephalo: ſimili ſe pondere jactat uterque.

Iactat Alexandro: ſimili quoque fulgurat aſtro
Cyllarus, hinc alius ſe tollit in aera Pollux,
Integer at vitæ, media nec ſorte beatus,
Excludenſque vicem, minus hanc admitteret ipſe
Seſſorem qui portat equus, nec Cyllaron unquam
Ferre ſuum pateretur onus, mutaſſe puderet
Seſſorem Polluce ſuum, quin Cæſaris illum
Cornipedem, humanis pedibus miranda ferentem
Indicia, & pleno ſpondentem grandia paſſu
Æquat, & inſurgens vocat in certamina, nec ſe
Indignum meritis, aut inferiora ſecutum
Eſſe putat, magno Ludovicum objectat Iulo:
Marte, animoque parem, pietate, & juris amore
Præſtantem, & juſtis moderantem lancibus arma;
Ergo ſuperbus agit toto ſpectacula Circo
Plenus honoris equus, nec ſe jactaret Arion
Amplius undivago pelagi rectori, tumentes
Cum vix aligeris temeraret paſſibus undas.
Nec jam ille, aut fictus, ſimulatuſve arte videtur,
Spirat in ære vigor, vivoque reciprocus ore
Halitus, alternis propellit flatibus auras,
Cervicemque movet, collique inclinat honores
Crinitos, funditque jubas, morſuque lupata
Rodit, & irarum ſtimulis urgentibus æſtum
Pectoris effundit, canáque aſpergine fræna
Obruit, & riuis ſpumantibus haurit habenas.
Qui dominum movet ardor equum, vim captat ab illo
Pondere, natus equus Domino, Dominuſque viciſſim
Factus equo; talem ſtupuerunt prælia regem,
Cum ferus alipedem timidos urgeret in hoſtes;
Atque ageret celeres per ſtrata cadavera paſſus.
Talia fræna manu ſtupuit Rupella tenentem

Attonita, & veteres, viſo vel Rege, furores
Depoſuit, didicitque pati, cervice reflexa,
Iuſtum onus imperij, & ſuetaque colla triumphis
Subdidit. Illum audax vidit Lotharingia tellus,
Cum mentita fidem, violato fœdere, leges
Ruperat, ire ſuper Nancæa cacumina celſo
Vertice conſpicuum, ſtragem, excidiumque minantem
Arcibus, inque urbem magna ſe mole moventem.
Talis in Alpinas Hyemes, & bella nivoſæ
Dira plagæ, gelidoſque metus, ardentibus ibat
Irarum ſtimulis, flammiſque objecta cremabat
Saxa, viam rumpens nativo armatus ab igne,
Quem Martis ſpirabat amor, quo victa calore
Nix perijt. Rigidi ſenſere incendia montes
Pectoris, externas nec opus conjungere flammas;
Ceſſit hyems, ceſſere animis ingentibus arma
Italiæ, Heſperiæque ſimul, Germania victa eſt
Hic quoque. Rex uno ſtatuit tria Marte trophæa
Hoc habitu Albani ſuperavit culmina montis,
Infræneſque animos juſtis compreſſit habenis,
Impreſſitque jugum, ne luxuriantia pondus
Imperij colla excuterent, reverentia Martis
Egit opus, tacti ſeu fulminis ictibus hoſtes
Diriguere metu, tali ſe ardore ferebat
Attrebatum, celſoque ſuper de culmine nubem
Armorum in muros, ſubjectaque tecta vocabat:
Donec in armatos ſtimulis maioribus hoſtes
Impulit alipedem, tremuerunt mœnia pulſu,
Diſſiluere fores, medias ſuper ire ruinas
More triumphali, cumuloſque aſcendere viſus
Cæſorum, ſtratiſque gradus inferre cruentos
Corporibus. Minor ille fuit, qui mœnia Troiæ

Deſuper incubuit, namque ænea viſcera tantum
Ligneus ille habuit, noſter tamen integer ære
Stat ſolido, nullòque venit metuendus ab aſtu,
Contemnitque dolos: tali ſeſe ænea mole
Suſcitat effigies, & pondere degravat urbes.
Ipſum adeo perhibent Rhodopes de culmine Martem
Cum fureret, quateretque ſuos in bella jugales
Aſpectu ſtupuiſſe feri, captumque videndo
Inſolitas traxiſſe moras, mox antra citato
Lemnia dum rapuiße gradu, precibuſque rogaſſe
Vulcanum, tali vellet ſibi cudere cælo
Quadrupedem. Veneris thalamo pro munere tanto
Ceſſiſſe rum; nitido melior Venus ære refulget,
Nobiliorque ignis, Mavorteque dignior ardor.
Nec minus aſtrifera concuſſum ſede Tonantem
Pertimuiſſe ferunt, cum vidit in aſtra minantem
Aſcenſum alipedem, propriúſque attingere nubes
Anteriore manu, Briareaque brachia in uno
Efferatus, toto ſpectabat numina cælo,
Cæleſtumque manus in prælia dira vocabat:
Quippe gigantæos montes equus æneus omnes
Exuperat; ſeſſorque præit virtute gigantes.
Hoc metuens toto capiebat fulmina niſu
Iupiter, at nullis rubuerunt brachia flammis
Frigida: lux micuit ſimul ænea, & abſtulit una
Mentem, animos, fulmen, vires, incendia, ſenſus.
Diriguit, terrorque Iovem mutavit in æris
Effigiem, rigido ſimilis manet ille metallo.
Quique tot in facies ſeſe convertit amore,
Hunc potuit timor in rigidum vertiſſe metallum.
Macte animo Ludovice! gravi cælatus in ære
Aſtra ſubis, pennata premens veſtigia famæ,

Pondera dant alas, totus tuba, & ænea totus
Lingua tui: non te potuit meliore referre
Fama ſono, mutuſque vales vocalia factis
Murmura Tyrrhæni chalybis ſuperare, metalli
Vivus honos, vivaxque tui Mavortis imago,
Te ſpirans, animanſque tui ſimulachra, columna
Viva tibi, dignumque tui, Ludovice, trophæum.



EPITHA

EPITHALAMIVM SERENISSIMORVM PRINCIPVM JOANNIS FRIDERICI BRVNSVICI ET LVNEBVRGICI DVCIS, ET BENEDICTÆ PALATINÆ.

HYMEN.

Sparge tuas Hymenæe nuces, nitidáſque ſereni
Nocte accende faces: tradit tibi candida lumen
Cynthia, & aurato rident tibi ſidera cultu.
Stat Venus apta thoris, Peplúſque extenditur alis
Umbratus, quas pandit amor, tædáſque jugales
Promovet, & thalamos geniali fædere firmat.

 Omine

Omine felici prodit Fridericus, Avorum
Stemmate conſpicuus, collecto ſanguine Regum,
Regibus æqualis, trunco digniſſima Proles
Brunſuico Princeps, quem Luneburgus amavit,
Quem mirata colit Germania: dotibus ingens
Corporis, atque animi; felix virtutibus; acri
Ingenio, mentiſque acie ſpectatus acutâ;
Pondere judicij maturus, & indole celſus;
Magni animi, largæque manus, fautórque Minervæ
Eximius, Phæbique decus, columénque Sororum
Pieridum; doctûm quo Mæcenate virorum
Floret honos, ſtudiúmque viget; quo Cive triumphat
Urbs Venetûm, tollítque jubas Leo Marcius: unde
Plurimus Adriacas ſplendor ſuperinnatat undas.
Obvia ſe fatis Conjux felicibus offert,
Gallia quâ monſtrat florentia Lilia ſceptro,
Florida Virgo, decus patriæ, ſtirpiſque venuſtas
Pulchra Palatinæ. Viden? ut Venus aurea cedat
Intranti, roſeáſque genas, frontémque nivalem;
Sidereóſque oculos, & labra rubentia laudet
Attonita? & tantum procul admirata decorem
Palleat, & viſo ſeſe ceu Sole minorem
Sentiat, obducto noctis velamine fronti?
Errat in aſpectu Matris puer ipſe Cupido,
Dum putat hanc Venerem; damnátque prioris honorem,
Quòd magis iſta placet. Benedictæ plaudit eunti,
Et ſequitur: trahit hunc tantæ Genetricis imago!
Huic benedicit Amor, pharetráque alludit, & arcu;
Flet maledicta Venus, natus quam ſponte Cupido
Deſerit, & viſâ formâ meliore refutat.
Iámque adeo venêre ambo: perculſit utrumque
Mutuus aſpectus: jaculantur lumina flammas,

Corda

Corda faces: it juſtus amor, penètrátque medullas
Altius. Aſtra favent proſpectu effuſa benigno.
Convenêre pares: felix it Nupta Marito
Principe: nec Princeps minùs eſt hac Conjuge felix.
Alter ab alterius concordi fœdere lumen
Accipit: aſſumunt radios, referúntque viciſſim.
Gratior eſt ſplendor, quem ſuſcipit unus ab illo,
Unde venit: proprio minùs eſt fulgere nitore:
Lux aliena placet. Iam dextram innectere dextræ
Aſpicis, & pariter præcordia jungere nodo
Conjugij: gaudent populi, plauſúque ſequuntur
Fœdera; divinant animis ventura beati
Dona puerperij, dignámque utroque Parente
Progeniem: decus Europæ, Pœníque ruinam
Imperij. Vocat ecce thorus, quem Gratia triplex
Ornat, & ignivomo ſuccendit amore Cupido.
Circumſtant alacres læto modulamine Muſæ:
Tendit Apollo lyram, chordáſque ad carmina pulſat.
Tunc ſic Calliope verſu modulatur acuto.

Aurea felici vobis Sol tempora curſu
Præbeat, æternos & ſine nocte dies.
Mox Erato inflexo cecinit modulamine verſum:
Effulgens inter velut ignes Luna minores,
Sic inter reliquas fulgeat iſta Domus.
Melpomene ſolvit felici hoc carmine venam:
Aſpice Conjugium vultu Venus alma benigno:
Da ſobolem: creſcant pignora, creſcat amor.
Succedit numero dulcis reſonante Thalia:
Mercurius niteat ſapientibus incitus aſtris,
Mentis & exortis fœtibus addat opes.

Fatidico ſequitur Clio ſermone ſorores:
  Mars aderit præbens validas in prælia vires:
    Augurat illuſtri clara trophæa Domo.
Uranie celſum cantillans pulſat Olympum:
  Iuppiter en radijs thalamos fortunat amicis,
    Effundens plenâ munera digna manu.
Verſibus Euterpe numeroſis dulciter infit:
  Pondera judicij librat Saturnus ab alto,
    Maturum ingenium, conſiliúmque dabit.
Therpſichore Marci carmen canit ore Leonis:
  Si Lupa Romanos nutrivit caſta gemellos,
    Eſt Leo, qui natos fingat ad arma tuos.
Terminat extremo Fatum Polyhymnia verſu:
  Adria blanditur natorum ſubdita curis,
    Mittit & invictum ſub tua jura vadum.
Hæc Hymenæe thoro ſuſpende, & lampada quaſſa.

ILLVSTRISSIMO, REVERENDISSIMO, EXCELLENTISSIMO

D. D.

ALOYSIO DE SOVSA

ARCHIEPISCOPO BRACHARENSI PRIMATI HISPANIARUM AD PAPAM INNOCENTIVM XI. LEGATO EXTRAORDINARIO

POEMA EPICVM, SIVE HEROICUM.

Verte aliò, Sol verte faces, curruſque micantes
Verte aliò, licet Eois redivivus ab undis
Nocte feras labente diem, tenebraſque reſolvas
Luce triumphali. Victus modò cede relicto
Imperio Cœli. Sol clarior imminet Orbi
Ortus ab Occiduis Princeps Aloyſius oris.
Latiùs hic ſpargit radios, & lumina fundit

Splendidus, & nullas patitur nigreſcere noctes,
Neſcius eclipſis, defectuſque inſcius, orbe
Perpetuùm lucente nitet, rutiloſque nitores
Explicat, & ſolidis ſplendoribus aera complet.
Hoc ſub Sole licet Stellæ tibi ſumere partes,
Et mendicato clareſcere lumine: tantus
Et nitet, & radiat. Viden? ut de ſtirpe dierum
Principium rutilante trahit? Cerno ire quaternas
In clypeo mixtas Regali Stemmate Lunas.
Luna tibi ſatis una ſoror, variabilis orbe
Ancipiti: quadruplex format tibi Cynthia quadrum
Firma, tenaxque ſui, quino quod vulnere ſacrat
Stemma Crucis, Lyſij pignus venerabile Regni.
Sed maiora cano: ſint hæc aliena vetuſtæ
Ornamenta domùs, quæ fæta Heroibus ardet
Ignibus aſtriferis, Stellaſque in ſanguine volvit.
Souſarum quem fama latet? quæ clara per Orbem
Emicat, & factis, & nomine fulget: origo
Eſt ignota tamen priſco circumdata fumo,
Tranſcenditque annos, certatque æterna videri.
Aureus hac trahitur Ludovicus ab arbore ramus,
Spemque, decuſque ferens: cùm primùm eſt editus, unà
Cæleſtes fulſere faces, cunaſque jacentis
Stellarum cinxere globi: Lucina vocare
Pallada viſa Deam, meliori ut Numine fœtum
Excipiat, foveatque ſinu: via lactea ſuccis
Impluit ambroſijs, roſeos Aurora liquores
Miſcuit: hos teneris infudit Gratia labris.
Tunc ad Fata volant Charites, ad carmina Muſæ:
Alma Venus Charites: Muſas invitat Apollo.
Ingenij dos prima fuit, quod præpete penna
More Aquilæ ad Superos volitantem ſuſtulit axes,

Doctrinæ-

Doctrinæque dedit rutilantem figere Solem,
Arcanoſque ſinus Sophiæ, doctoſque receſſus
Palladis arguto ſpeculari lumine mentis,
Et tentare vias diſcendi, & quærere formas,
In quas ſe vertit vario Sapientia vultu.
Hoc tibi ſorte datum: ſpatium omne implere docendi,
Et ſolidum ingenij metiri paſſibus orbem.
En quâ Palladijs Conimbrica floret olivis,
Urbis Athenarum ſoboles pulcherrima, Regum
Regia primorum, ſtatio gratiſſima Muſis,
Fervet ubi ſtudijs Academia nobilis, undis
Aſtriferis quam Monda rigat, tibi Laurea cingit
Docta comas, cathedraſque jubet moderarier omnes:
Quippe venis unus par omnibus, undique fundit
Seſe acies juvenum tanti ſtudioſa Magiſtri,
Atque aures, animoſque parant. Divina videtur
Os cortina tuum, dum ſacra Oracula fundis,
E roſtris ſolitus folium recitare Sibyllæ.
Non aliàs tanto ſe Sole infundere Thomas
In Cathedram viſus, mentiſque expellere noctem,
Et præſtare diem: nec Scotus acumine tanto
Uſus in abſtruſi ſubtili indagine Veri,
Diſcordes animas in te coiſſe Magiſtro
Obſtupuit felix Academia! Plauſibus ergo
Te celebrare novis, & amore incendere laudes.
Nec ſterilis doctrina fuit, cumulantur honores,
Agglomerantque apices; juvenilia membra ſenile
Ornabat cerebrum, collecta ſcientia fructus
Mentis maturos in acerba ætate ferebat.
Laſſarent alios decorum quæ inſignia, collo
Impoſuit fortuna tuo: tua vivida Virtus
Inſtar erat Palmæ, quæ nixa in pondera ſurgit

Fortior,

Fortior, & ſurſum conata evadit in auras.
Concurrunt Trabeæ, Cortinæ: hinc Inſula pandit
Lemniſcata toros: inde aurea tænia crines
Implicat, inque unum coeunt Cimmelia corpus.
Ambitione tui ſurgit certamen honorum,
Ornat, & ornatur quicumque accedit, & unà
Tu frueris, fruiturque decus; maiorque reſurgit
De meritis collatus honor, parvique videntur
Magni aliàs, puduitque ſui: menſura fefellit
Inſuetos tantæ virtutis, & indolis; olim
Aſſueti decorare pares, paribuſque micare
Luminibus: nunc imparibus veniſſe fatentur
Viribus, & proprios tanto ſub Sole nitores
Imminui, noctemque pati. Communibus ergo
Conſpirant ſtudijs anguſto excedere Regno,
Teque ornare foris. Urbis tua digna theatro
Gloria viſa fuit, totum quæ continet Orbem,
Et ſeptem geminis incurſat montibus auras,
Fuſa ſinus per vaſta ſoli, perque ampla profundi,
Perque plagas Superum, perque ima abſtruſa barathri,
Cui datur æthereas reſerare, & claudere portas.
Illa tui venit una capax: te provocat æquum
Expandens gremium. Vis provida Numinis egit,
Regius ut Princeps (cui Luſitania paret,
Regina Oceani, domitrix Orientis, ad Auſtrum
Et Boream diffuſa plagas, Pelagique emenſo
Gurgite, ad Occiduas invicta revertitur oras)
Petrus amans Patriæ, vigiles in pectore curas
Imperij verſans, Legatum mittere Romam
Clementem ad Decimum de ſumma, & cardine rerum
Cerneret, ac reliquis Ludovice ex omnibus unum
Te legeret, paciſque bonum, Sophiæque Magiſtrum:

In

In quo ſumma fides, vis indolis alta, facultas
Ingenij, moreſque graves, & conſcia recti
Mens foret, & ſenſus juvenili ætate ſenilis.
Sic placitum Superis; ſenſerunt Sidera numen,
Et cecinere omen; fauſtus protenditur Orbi
Exitus, Orator veniat ſi tantus ad Urbem,
Orbis opus, dignum tali te munere dicunt
Ordinis inſoliti. Provincia ſumma decebat
Atlantis validos humeros, ſed maior haberis,
Cùm Cæli ſit pondus iners, & corpore ſolo
Tantum Atlas ſuſtentet onus, nec mente gubernet
Sidera: Tu contrà ſuſceptæ munera molis
Mente regis, verſaſque animo, tractare peritus
Grandia, conſilioque potens, & conſcius artis.
Paſtorem eximium Summi Paſtoris ad Urbem
Regius ire jubet meliori ſidere Princeps.
Exultant proceres: hilari ſe Regia riſu
Explicat, & Populus concordi murmure plaudit.
Una tamen lachrymas, magno concuſſa dolore
Iacturæ impatiens Lameci urbs inclyta fudit,
Lameci, cui ſorte datum Paſtore beari
Conſpicuo, timuitque ſibi, cùm vidit euntem,
Ne rurſum ad caulas, anguſtaque ſepta rediret,
Quòd non illa parem tanti ſe Principis eſſe
Noverat: huic cedat namque integra Lyſia, cujus
Urbs ſolùm Romana capax: moderata dolori eſt
Augurijs: fore Mercurium, qui rubra Galeri
Sidera geſtaret, trino & Diademate frontem
Cingeret, & Superi portas reſeraret Olympi.
Quà Tagus auriferis Pelago ſeſe ingerit undis,
Urbs antiqua jacet cuneato in littore, partim
Plana ſitu, quà mordet aquas, partim ardua, pontum

Quà

Quà fugit, & terram maiori mole fatigat.
Altiùs hac ſurgens imæ ſupereminet urbi
Nexa tamen pulchris convallibus; unde reſultat
Sectæ Urbis jucundus honos, & grata voluptas
Luminibus variante ſitu: montoſa coronant
Culmina, ſepteno veluti diademate, Cives:
Nam totidem fundit circùm Romæ æmula colles.
Fundamenta urbi dedit, & cognomen Vlyſſes,
Nec minus illa potens armis, quàm Romula quondam
Vrbs fuit, Eoos extendens ſceptra per axes,
Damnans Solis iter, quem linea ſola coercet,
Cogit & obliquo metuentem incedere curſu,
Quemque adeo geminæ certant concludere metæ,
Hinc Caper, hinc Cancer, nec enim datur ire micanti
Vlteriùs: quinas audet tranſcendere Zonas
Paſſibus ampla ſuis Vlyſippo, neſcia fines
Imperij, metaſque pati: Sol horruit Hædos,
Et Cancros; tumidos non horruit illa Leones,
Nec rabidas Tigres, nec turrigeros Elephantos.
Erigit illa caput peregrinis aucta trophæis,
Aucta opibus: jactat commercia nexa triumphis.
Arma ſimul, merceſque trahit: deſpectat inertes
Divitias, lauros gemmis, palmaſque lapillis
Iungit honor; ſed prima Fides hortata remotas
Ire vias, penetrare plagas, & figere celſis
Culminibus vexilla Crucis, documenta ſalutis
Tradere, luſtrales animis inducere lymphas.
Illa vetus Regum Sedeſque, & Curia, Regni,
Et caput, & Princeps, ſtatio tutiſſima nautis,
Opportuna mari, Sceptroque innata profundi.
Hanc vitreis diffuſus aquis Tagus alluit Vrbem
Amnis adhuc, nondum pelagus, ſed proximus alto,

Salſus

Salſus aquas, patienſque ratum, quæ mole ſuperbis
Turribus aſſultant, fundumque immane laceſsunt.
Ventorum furias ſolitæ ridere, minaſque
Irati Pelagi, nec ſidera dira timere.
Hæc igitur gremio venientem more Parentis
Excipit expanſo Ludovicum, provida navim
Cui ritè inſtructam navalibus ante pararat.
Afflarunt Zephyri, tumuerunt carbaſa vento
Turgida: viſa ſuis impellere ſidera puppes
Nutibus, & rapidos ſubſternere marmora fluctus.
Inſolitum mare ſenſit onus, ſubſidere primùm,
Atque imum curvare vadum, mox ſurgere, tolli,
Et ſpumis ambire ratem, niveaque corona
Cingere, & inſtanti certatim alludere roſtro.
Mox Tagidum chorus udus adeſt, & turba ſororum
Nereidum, navimque humeris deducere certant,
Digniùs ut, leviuſque volet, Thetis incitat omnes
Ire pares, miſcere vices. Galatea Riberam
Provocat, invitat Cyddipem Almadia, proram
Quattuor excipiunt, Spio, & Pampullia, Niſe,
Atque Alfama levant latera ardua. Cymodocea,
Caſſiliaſque ſimul, Drymo, atque Alcantara puppes
Impellunt. Nymphis ratis ancillantibus ibat
Per medium victrix pelagus, liquidoſque tumores
Altiùs exurgens turrita mole premebat.
Nympharum ſimulabat aquis vectura triumphum,
Iamque adeo ſcopulos evaſerat, & vada ponti
Libera nacta, ſinus totis impleverat auris,
Bætica cum Gades, Erythrææque littora monſtrat
Terra procul, Calpemque aperit, fauceſque propinquas,
Herculeas inter pelago fervente columnas,
Africa ab Europa quo ſe diſcriminat arcto

Indignata

Indignata freto, minor eſt diſtantia voto:
Votum, iraſque tamen ſuperat violentia ponti.
Hâc ratis ingreditur, curſuque invecta ſecundo
Provehitur: mittit nova ſlamina fauſtus Iapyx,
Fortunatque viam. Multos haud carbaſa flatus
Pertulerant, celſo cùm nauta è culmine mali
Aſpicit ingentem contrà procedere claſſem,
Ceu cuperet paſſis venienti occurrere velis,
Exclamat: coiere omnes, ſtudioque videndi
Implevere foros: primùm timor occupat artus,
Mox animos ea cura ſubit defendere navim,
De Libyco fortaſſe mari ſi Punica claſſis
Arma gerens, ſtudio prædandi adverſa veniret.
Nec ſuſpenſa diu tenuit ſententia mentes:
Nam propiùs ſpatio conſumpto gurgitis inter
Diſtantes poſiti, vexilla undantia vento.
Expoſuere oculis, plagarum inſignia Regni
Stemmata Lyſiaci, quæ Turribus aucta patebant.
Tunc verò exoritur feſtivo murmure clamor
Nauticus: Orator venienti occurrere claſſi
Imperat: illa videns ſocia arma in mutua fertur
Gaudia, & adverſam turrita mole carinam
Appetit. Vt propiùs venit, tormenta boatu
Grandia terrifico diſplodit, & excitat ignes
Innocuos, tonitruſque ciet per inane ſonantes:
Bombus aquis impactus agit per cærula fluctus.
Ludrica tempeſtas feſtivo horrore per undas
Diditur, atque animos mentito Marte ſerenat.
Circumfuſa ruit mox claſſis, & efficit orbem,
Et mediam complexa ratem reboante laceſſit
Murmure, quod pariunt cava viſcera Bombardarum.
Iamque volant celeres hinc inde per æquora lyntres,

Inviſunt-

Inviſuntque ratem: renovant commercia linguæ,
Atque manus: amor ardet aquis, & fervida currunt
Officia, alternis patrio ſe more ſalutant.
Utque ſatisfecere animis, votiſque potiti,
Optatos portus, ventoſque precata ſecundos
Claſſis abit, panditque ſinus, & cærula verrit.
At domus interior Pelagi concuſſa tumultu,
Et turbata ſono, tormentorumque boatu
Excita terrifico liquidas exarſit in iras.
Fluctibus in mediis ſtudiis ardentibus acta
Vindictæ, licuiſſe dolent audacibus armis
Luſiadum tentare ſui moderamina Regni:
Nec ſatis Oceano dominari, à finibus Orbis
Occidui per Atlantis aquas Orientis ad oras.
Nunc auſu immodico violare, ac rumpere leges
Naturæ claudentis aquas in gurgite certo
Terrarum in medio, nato ad commercia gentis
Omnigenæ, auſuros ſtimulante cupidine contrà
Tendere, & Imperium Pelagi ſibi ſumere, & ultrà
Ire per abſtruſoſque ſinus, vetitoſque receſſus
Secreti Pelagi, ſcrutari arcana profundi:
Sedibus èque ſuis venerabile Numen aquarum
Pellere, & humentes ad ſicca extrudere Divos.
Auſibus obſtandum; vires, atque arma paranda,
Infandumque ſcelus communi morte piandum.
Ergo ciet Neptunus aquas, concuſſa tridente
Æquora ſubſultant: imi vis humida fundi
Prodit, & in fluctus paulatim exorta tumentes
Sulcantis pelagus tundit latera ardua navis.
Hinc premit, hinc agitat, proræ ſe ſe objicit ingens
Vndarum cumulus, roſtrumque avertit, & urget
In latus adverſum; nec recta incedere clavo.

Vel ſudante datur, ſævitque, furitque procella
Grandior. Ejiciunt ſeſe furialia venti
Flamina diverſis agitantis fluctibus vndas. (urgent
Hinc Notus, hinc Boreas, inde Eurus, & Africus
Commotum Pelagus: montana cacumina fluctus
Aſſimulant, miſeramque levant ad ſidera puppim
Nubibus immixtam, nullo diſcrimine ponti,
Et Cæli: fluctus pariter junguntur, & aſtra,
Dantque manus: ardent fulgetræ, ac fulmina: nimbi,
Et pluviæ de nube cadunt: mox culmine ſummo
Dejicitur, præcepſque ſinus deſcendit ad imos,
Ceu medijs tumulanda vadis. Elementa relinquunt
Naturæ turbata locos, mundique fatiſcit
Machina, in exiguam conſpirant fata carinam.
Sola per immenſum pelagus jactatur, & undis
Obruitur, torpeſcit iners ad munia clavus,
Nec potis eſt timidus torquere magiſter in uſus,
Victus mole maris: languentia carbaſa malo
Applicita incumbunt, rapidis ludibria ventis.
Stare immota, ſalus; contrà eſt mors certa, moveri:
Arbitrio ponti viduata relinquitur armis.
Voluitur hàc illàc, fertur quò pontus, & ira
Ventorum furioſa trahit; ſervire profundo
Eſt tanti medicina mali. Perijſſet in undis,
Ni ſentina foret, rapido quæ concita motu
Hauſtibus alternis tantundem redderet undæ,
Quantum rimarum Pelagi per aperta bibiſſet.
Iamque adeò propè naufragium ratis icta procellis
Ibat, & undoſis jam montibus obruta mergi
Cæperat, egreſſæ Genuæ cùm ex æquore Nymphæ,
Quas inter Lagideſque vetus flagraverat ignis,
Atque frequens per viva uſus commercia, navem

Agno-

Agnovere ſuam, venientem à littore Regni
Lyſiaci, ripiſque Tagi: dolor urget amantes.
Accurrunt, ventoſque vocant, & flamina ſiſtunt,
Æquora componunt; ponit furor, iraque ponti:
Tranquillantur aquæ, pax redditur humida, ceßant
Prælia, navis agit pacata per æquora curſum:
Antevolant Nymphæ, Genuenſia littora monſtrant,
Atque hilares proprios hortantur inire penates.
Vectores. nautæque metu, curaque ſoluti
Læta canunt, portumque tenent, lautoque fruuntur
Hoſpitio, laſſoſque artus, & membra quiete
Feſſa levant, dapibuſque fovent, quas nectare condit
Urbs Genuæ, Iovis ambroſios imitata ſapores.
Mirus amor Ducis, atque Patrum per grata pateſcit
Officia, excipitur tota Legatus ab Urbe,
Ceu Dominus, Princepſve foret: ferventque plateæ,
Et fora concurſu populi, ſimilemque triumpho
Inſtituunt celebrem venienti à littore pompam.
Impatiens tamen ille moræ retinacula ſolvit,
Cum primùm flavere Noti. Secat æquoris undas,
Quas natus Phaëtontis amat: Tyrrhænaque verrit
Cærula contendens ad littora nota Liburni.
Verterat antè viam magno molimine fama,
Quæ magni diſperſa Ducis compleverat aures,
Principis eximij, nulli virtute ſecundi,
Quo maior ſplendore domus, atque indolis altæ
Culmine, conſilij gravitate, & mentis acuto
Ingenio, Sophiæ ſtudijs, animique vigore
Nullus in Europa Regali è ſtipite ſurgit;
Largus opum, doniſque fluens, ſectator honeſti,
Et recti, juſtique tenax, lex integra morum,
Majeſtatis apex, & Relligionis imago,

Deliciæ populi, Superum cura, ardor Olympi.
Iuſſerat hic urbis Præfecto è culmine turris
Subjectum pelagus ſpeculari, vela per undas
Si daret illa ratis, Lyſioque à littore portet
Legatum: mox cuncta hilari quæ debita pompæ
Apparet, & nullis aut terra, aut marmore ſignis
Abſtineat. Vigil ergo mari dum incumbit aperto
Cernit inire viam vicina ad littora navim.
Mox ſigno de turre dato tormenta boatu
Feſtivo diſploſa ſonant, & mutua reddunt
Murmura, roſtratæ quæ ſunt per littora puppes,
Et quæ celſa micant per propugnacula turres.
Exilit in portus Urbs tanto excita tumultu
Ingentem viſura virum: navalis in undis
Sylva viret, circumque ratem complexa moratur
More ſalutantis: mox ſolvitur, atque patentem
Dat ſtudioſa viam, portuſque inducit amicos,
Illa triumphali vehitur per marmora roſtro,
Alludunt lateri criſpatis fluctibus undæ
Portandi cupidæ, liquidoque in gurgite miſcent
Prælia: quæ propior, venit illa beatior; ardent
In gelido ponto tangendæ navis amores.
Ingreditur Præfectus aquas, & lyntre ſuperbit
Regifico, auratis caſtigans cærula remis,
Inſtratoſque foros aulæis ditibus offert
Legato, inque ſinus venientem excepit ovantes.
Mox trahit in currum Magni Ducis, & vehit Vrbem.
Per mediam: plebs tota vijs ferventibus undat,
Et lætum conclamat Io, ſpeciemque triumphi
Exhibet: hoc habitu palatia celſa ſubivit,
Atque hic lautities, & pleno copia cornu
Fundit opes, aulæa nitent, fulgentque tapetes,

Auro

Auro abacus rutilat, lecti ſternuntur eburni,
Menſa epulis onerata gemit. Regale paratur
Hoſpitium tanto munus Duce, & hoſpite dignum
Legato; Præfectus adeſt, & juſſa capeſſit
Principis, ut donec conſiſtat in Vrbe Liburni,
Donec & Etruſco, caſuné, an ſponte moretur
Imperio, nullo patiatur vivere ſumptu
Privato; expenſis alitur communibus ultrò
Exhibitis; ea lex tenuit, nec rumpere cuiquam
Permiſſum: arbitrio vivendum Principis, Vrbes
Per Tuſcas Legatus iter dum conficit. Ergo
Ne pudeat, tentare viam conatur honoris,
Muneris impatiens negat alto à Principe vinci:
Ingenioque uſus miſſis ad munera ſervis
Talia dona dabat, quæ pluſquam accepta valerent
Xenia, re maior, ſpecie minor, æquus honore.
Nunc mea Calliope valido præcordia pulſu
Concutit, & ſtimulis ad carmina grandibus urget.
Vena tumet, furor intus agit, vehementior urit
Oſſa calor, maiorque animum Deus incitat æſtro.
Roma vocat, Roma illa vetus, quæ clara triumphis
Laurigerum Mundo edomito caput intulit aſtris:
Illa recens, ſacros quæ jura extendit ad axes
Æhtereos, clauditque fores, reſeratque ſupernas:
Summus ubi reſidet, qui ducit ovilia, Paſtor
Chriſtiadum, Chriſtique vices, & munia Petri
Suſtinet, & lumen doctrinæ, & regula morum:
Hanc Ludovice petis, longarum hæc meta viarum.
Mutuus aſpectus tenuit reverenter utrùmque.
Tu procul aſpiciens ſummi faſtigia Templi,
Quæ ſe prima oculis ſpecies venientibus offert,
Relligione loci, & ſecreto numine tactus

 Exeris

Exeris affectus teneros, & pectoris ignes
Per lachrymas, per vota, preces, ſuſpiria prodis.
Atque fidem mentis, cordiſque oſtendis amorem.
Illa videns tanti Legatum Principis, affert
Obuia complexus, gremioque invitat amico.
Hîc ſeptem gemini viſi ſubſidere montes,
Et capita inclinare tuis obnixa plantis,
Senaque Pontificis rutilare decentius aſtra,
Et ſignare viam radijs, quæ tendit in Vrbem.
Fama volat veniſſe Tagi de littore, Petri
Principis auſpicijs, & nomine: ſanguine cretum
Regali, eximijs ornatum laudibus, Vrbem
Qui decoret ſplendore, opibus, pompaque triumphi,
Ferrea divitijs qui tempora ſanſtus inauret.
Intrantis ſpecies Auguſta apparuit Vrbi,
Quæ ſibi viſa capax minus eſt pro mole triumphi;
Quæque Orbem capit in gremio, nec cingitur Orbe;
Imo ſinu plures effuſo amplectitur Orbes
Arcta ſitus, anguſta loci, ſpatijque maligna
Erubuit, doluitque vicem, quod parva veniret
Ingenti menſura Viro, ſpectacula Scenam
Non habitura parem, laxandaque mœnia, & Vrbis
Augendum gremium: rumpenda hoc viſcera partu
Romula, ni properet priſcos extendere fines.
Aſpicias tota concurrere ab Vrbe quadrigas,
Et fervere rotas, ſcuticas reſonare per auras,
Aurigas ſtimulare feros, impellere currus,
De primo certare loco, conferre jugales,
Et juga dura jugis committere, & axibus axes.
Per fora, per plateas, per compita vulgus inundat.
Nobilior pars alta domus ſuſpenſa feneſtras
Pronos jacit ad ſpectacula vultus.

Fama

Fama erat eximios & forma, & mole parari
Cornipedes, quales Thebana ad prælia duxit
Amphiaraus equos, Rhæſuſque ad flumina Troiæ
Ductor agens cupiit vetitis potare fluentis.
Pegaſus inferior madidas his ſubderet alas,
Atque ſuo tumidus minor iret Cyllarus aſtro.
Nec minus igniferi, rapitur queis Phœbus Olympo,
Quattuor Eous, Pyroiſque, & Phlegon, & Æthon
Ambigerent victi ſolidam concedere palmam.
Conſpecti fecere fidem: capita alta ferentes,
Colla toris nervoſa tument, cervixque reflexas
In latus inclinata comas ſpecioſa recumbit,
Pectora lata patent, nodoſo tubere ſurgunt:
Dorſum immane jacet, moles it carnea tergo,
Maior ineſt armis: turgeſcunt ilia: ſolùm
Caſtigata notis [illegible]dit brevioribus alvus.
Pulcra feris ſpecies, ſed machina grandior extat
Gratior; obſtupuit pubes incredula molem,
Dum videt inter Equos etiam genuiſſe Gigantes
Naturam, creduntque homines grandeſcere terris
Mole gigantea; clamant Elephantas ineſſe
Cornipedis, quin & turres potuiſſe videri,
Si ſuper impoſitos Elephanti in prælia ferrent.
Qui vaſtos artus, immaniaque oſſa videret,
In turres abjiſſe feros præ mole putaret,
Aut in Cornipedes turres tranſiſſe minaces.
Hos ſi nacta foret, cùm prælia movit Olympo,
Montibus imponens montes Titania pubes,
Ut premeret Superos, tantos deponeret auſus,
Et montes mutaſſet equis, quò ſcanderet aſtra.
Caucaſus ad ſcalas minor his veniſſet, & Atlas,
Parvus Athos, & parvus Erix, nec Pelios Oſſæ

 Impoſi-

Impoſitus tantum, nec Olympus deſuper Oſſam
Additus ad Superos ſe tolleret: altiùs iret
Per juga cornipedum, tumidorum turba Gigantum,
Nec propiùs tantùm, ſed fortiùs arma moveret
Suppoſitis ſublimis equis: hinc tela rotarent
Certiùs ex alto, ſubjectaque numina ſaxis
Obruerent, ſonipeſque ferox & dente feriret,
Calcibus & peteret, curſu quoque præpete Cælum
Tunderet, & fumo fuſcaret ſidera, pulſu
Quadrupedante Poli turbata refigeret aſtra.
Talis cornipedum facies. Quæ gratia currùm,
Quæ ſpecies, quæ forma, novi ſit carminis ordo.
En data porta viam facit egredientibus aulam
Regificam, ſpecies oculos mirabilis implet.
Tergemini bijuges adverſo in limine portæ
Ingentem per lora trahunt undantia currum,
Turris opus, ſudorem artis: ſtant ſigna metallo
E ſolido cælata, toris extantibus errant
Per vaga Mæandri diſcrimina mille labores
Ionidum: ſylvoſa viret cæſura figuris
Aſpera l nta manus viſu quæ mollia reddit.
Symbola conſurgunt. It Luſitania ſceptro
Inſignis, clauſamque gerens in fronte coronam:
Regnorum domitrix, circum quæ fuſa per Orbem
Protulit Imperium, circumſtant ſigna plagarum
Quattuor. Europæ prima eſt ubi Lyſia proles,
Imperat occiduas quà Sol decedit ad oras.
Africa mox nigrum caput exerit, exerit album
Terra Eoa ſimul, per quas circumtulit arma
Lyſia, conſpicuis ſemper cumulata triumphis.
Viſitur inde alio diviſa America tractu
Subdita Luſiacis ex parte accedere Regnis.

Has

Has totidem ſignant ſimulachra expreſſa metallo.
Surgit apex currùs: metas viden? ire quaternas
Floribus æratis, ridet quibus angulus artis
Conſcius, atque oculos ſpecie florente laceſſit.
Intus opum cumulus per gauſapa, ſerica clauſus
Obtegitur, cortina locum pretioſa recondit,
Et retegit: toto gravitas ſe Regia curru
Explicat, Æthiopum proprio ſignata colore
Præſulis ad nutum, lucetque decentiùs auro.
Sex validis portatur equis, quos Cynthius optet,
Cùm primùm Eois caput exerit aureus undis.
Mox illius ſequitur ſplendenti lumine currus
Fulgidus, & nitido totus circumdatus auro,
Blanditurque oculis: prora aurea, & aurea puppis,
Aureus & vertex, temo aureus, aureus axis.
Illo majeſtas, hoc ſe ſe opulentia jactat
Turgida: nil oculis fulvum niſi candicat aurum.
Sex dij juga cornipedes ſubiere priorum
Forma, & mole pares. It tertius ordine currus
Pulcher, & in viridi ſpes ridet amica colore,
Cornipedumque color ſpadiceus auget honorem.
Huic ſeni ſubduntur equi, germana propago
Alterius; ridens cupit hic habitare voluptas,
Et Charites: tanta eſt venientis gratia currus.
Succedunt bijuges numero excedente marinum,
Cùm ſe devolvunt decumani ad littora fluctus.
Uno major adeſt: tunc ſeſe aliena refundit
Turba ſuis diſtincta locis. It pompa triumphi;
Flos euitum, populoque gemunt urgente plateæ.
Victorio, tibi poſſe datum ſuperare vetuſtos,
Quos muneret victrix Vrbs Roma ex hoſte triumphos.
Arma Togæ ceſſere tuæ; quod Tullius olim

 Expetijt

Expetijt Patriæque Pater, Principesque Senatus,
Nec tamen obtinuit. Fato tibi contigit uni
Ire triumphali Romana per atria Lauro,
Cæſareos ultra, Pompeianoſque triumphos.
Hac ſpecie, pompaque pedes Clementis adorat:
Hos ſibi conſtituit merita pro laude coronam.
Maior ab his pedibus ſurgit reverentia, maior
Gloria, maior honor, Lyſio de ſemine Regum,
Nomine quos genuit Lyſiæ terra inclyta Gentis.
Abjicit ad ſacras capitum diademata plantas:
Has erecta decent parta ex Oriente trophæa,
Europæ decora, Americæ ſpolia ampla, triumphi
Quos peperit Luſis victoribus Africa tellus.
Hæc fuit una ſalus, Lyſijs & gloria rebus:
Nuſquam Romanæ tanta eſt reverentia Sedis.
Excipit occurſum venientis ad oſcula Clemens,
Cujus ab ore fluit prono indulgentia rivo:
Confirmata manu terraque, poloque potenti,
Quæque beat miſeras animas, & Tartara terret.
Inde viam repetit, propriamque revertitur aulam,
Et jubet appoſitis fieri convivia menſis.
Omnes conſpicui, lemniſcatique renident
Sacrati Proceres, umbrarum nulla recumbit:
Exceſſere loco: Legati ſplendor abegit,
Coguntur que Hecates ferali accumbere menſæ.
Hinc aulæa nitent, hinc peripetaſmata fulgent,
Inſternuntque ſolum villo fulgente tapetes.
Inde abacus rutilat gemmis inſtructus, & auro,
Candidus argento; pretioſo ornata paratu
Menſa per immanem porrecta extenditur aulam,
Præda futura dapum, Cerealis ſcena theatri:
Certamenque gulæ: certat peregrina voluptas,

Et

Et nativa ſuos epulis miſcere ſapores,
Afficiuntque vagos variantia fercula guſtus:
Condimenta tenent dubium diverſa palatum.
His novitas externa placet, peregrinaque rident
Fercula, & ambitio per menſam excurrit edendi,
Nota, ignota ſimul: mandunt aliena putantes
Nata domi: monet inſolitus ſapor inditus ori
Erroris, tamen ille venit gratiſſimus error,
Proficiunt errando magis, faſtidia nulla,
Tædia nulla nocent, ſaturos nec copia reddit,
Quæ variat mutata cibos, elementa fatigant
Fercula, quæque ſuos vocat ad convivia fœtus:
Aer agit volucres, carnes terra, æquora piſces:
Ignis uti ſterilis, menſis & inutilis ardet
Invidia, ſpondet tamen ille ad fercula flammas,
Seque unum veſcas epulas, molleſque daturum
Dentibus elixas, frixaſque, aſſaſque calore.
Poſtquam viſa ſatis primæ convivia menſæ,
Succedunt menſæ bellaria grata ſecundæ.
Scriblitæque, offæque volant, & ſeſama ſuccis
Illita nectareis, mellitaque fruſta placentis
Immiſta ambroſijs: cerebrum Iovis additur: omnes
Deliciæ, quas Luſa manus, Genuenſis & aptat,
Vrbs nova Romanas lances queis implet, abundant.
Sacchara mixta pyris, maliſque inſerta palatum
Decipiunt, virides vertendo in dulcia fructus,
Et mentita cient jucundos poma ſapores
Degeneres, præſtatque ſuas ſic fallere plantas.
Tempeſtas pretioſa dapum per guttura currit,
Perque gulas, agitans ſtomachos, nec deficit imber
Nectaris infuſi per pocula plena natantis,
Munus, amorque Dei: pateras it Liber in omnes,

Labra

Labra rubent, ſtat ſpuma ſuper, fingitque coronam.
  Hactenus o Muſæ licuit deſcribere pompam.
Sat Citharæ, Plectroque datum; ſit menſa laboris
Meta mei, dulcis ſequitur convivia ſomnus:
Quæ geſturus erit Legatus grandia Romæ,
Maiori ſunt digna tuba; me deficit ardor
Feſſum annis, ætate gravem, mortique propinquum.
Quod ſi forſan erit, tua qui præconia Princeps
Altiús extollat, meliori & carmine cantet,
Haud me livor edet; modo ſit tibi gloria maior,
Et te digna canat, grates, & dona rependam,
Atque lubens vincar, tamen hoc in pectore conde:
Ille meum vincet ſtudium; non vincet amorem,
Iamque vale; poſtrema cano, æternumque ſilebo.
Ite meum Muſæ ad tumulum, atque hoc ponite carmen.

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO
D. D.
LVDOVICO
BRETELIO
ARCHIEPISCOPO
AQVENSI.

RVSTICANÆ SVÆ DOMVS ET Villæ in Oppido Iocorum Poetica deſcriptio.

DICATA.

HANC ſylvam à te [Illuſtriſſime Domine] in Villam tuam, Jocis, invitatus, apud te, unius diei opus, Statij more compoſui. Impellente calamum, & benevolentiâ tuâ, & affectu meo. Erupit amor in verſus. Puderet morarum, ſi agerem lentiùs. Enthuſiaſmos ille fuit. Paſſus ſum. Raptus. Vngues mordere non licuit, volanti. Scio nonum in annum Poema premere. At tunc ne mei quidem potens: quòd preſſus, & patiens Phæbi fui. Condere

dere malebam. Sed tu Illuſtriſſime Domine vetuiſti In lucem edi juſſiſti. Itaque, quòd compoſui, impulſus; quòd typis mandavi, compulſus feci. Doleo tibi à me tam tenue quiddam offerri. Sed ex ijs ſum, qui mola ſalſa, & lacte litant. Interim dum thura comparo, & accerram paro: iſta boni, æquique conſulito. Quòd laudes tuas, inſcio te aſperſerim, ignoſce. Subtraxi oculis tuis, quæ modeſtiam tuam offenderent. Sin, Religio maior eſſet, Tanta modis tenuare parvis.

Vale.

Tuus ex animo ſervus
obſequentiſſimus,

FRANCISCVS MACEDO.

CEDITE

CEdite deliciæ Tiburti, & Theßala Tempe
Frigora, Penêus quæ prata interfluit amnis
Cedite, Pæſtanæ commercia florida ſylvæ
Circæique jugi; non vos melioribus aſtris
Condidit, aut vultu propiore aſpexit Olympus.
Haud procul Vrbe, decus peperit cui nomen Aquarum
Sextiadum, locus eſt vallis diffuſus amœnæ
Planitie: cingunt ſaxa undique, & undique rupes,
Perpetui montes circum funduntur in orbem,
Incumbuntque agris: Helices quà fulgurat aſtrum,
Quà gelidus verſat glacialia plauſtra Bootes:
Oppidulum ſurgit (nomen dixere Iocorum
Indigenæ) nidique hæret pendentis adinſtar
Aerias inter rupes & confraga Cælo
Proxima, deſpectans celſo de culmine vallem,
Delicias Floræ ac Cereris, certamen amicum
Floriferâ ſuſceptum acie: quo lumina bello
Gaudent victa premi, vincique hac lege laborant.
Grata quies oculis per prata errantibus: æſtus
Hîc perit: hîc nullos dentata Canicula morſus
Imprimit, æſtivis cum rapta caloribus omnem
Eggerit in campos rabiem: non torrida flammas
Stella Leonis agit: medio vel Gallica Cælo
Fata timet, ponitque jubas, & colla reflectit
Apta jugo, Gallique ſonos perterritus audit
Promptus ad obſequium: non hiſcere victus anhelat,

Con

Contractis friget radijs: nec Gallia tantum
Imperat in terris, ſuperis quoque regnat in aſtris.
Hic Zephyri Boreæque vigent: animata calorum
Pernicies, halantque animas in floribus, unde
Purpureos partus per florea viſcera tellus
Effundit fœcunda parens: ſtat frondea contra
Solem acies, facta viridi teſtudine trunci
Arborei denſant ſeſe, & ſolaria pellunt
Fulmina: magna datur tamen in ſolatia victo
Campi acies: nec enim inde procul frumenta teruntur
Areolis, quæ Solis egent, huc conferat æſtus,
Huc radios tantum permittitur. Incubat hortis
Vivus, Amaltheæ genius: ſe Copia cornu
Proluit effuſo, facili concepta paratu
Vis olerum tumida ſurgit tellure, ſolutis
Edita viſceribus: nec deficit unda canales
Deducta in varios, ſeries qua tota rigatur
Herbarum, nitido pellucent gurgite lymphæ,
Et jucunda oculis pariunt ſpectacula, guſtus
Iam latura novos & fercula grata palato.
Mobilibuſque adeo lambunt pomaria rivis:
Unde vigor virtuſque venit, torus unde reſurgit
Herbarum varius cumulo maiore. Voluptas
Florida mox ſequitur, gratos inſpirat odores
Ambroſiæ, camporum acies, è nectare ſuccos
Hauſta novos: ſtant multiplici diſtincta colore
Gramina, viva nitent in pratis ſidera, Cœlum
Invidet; his etenim mutaret floribus aſtra,
Nec lucere Polo, mallet floreſcere campo.
Quid moror? En Fluvij devolvitur aurea vena
Grata ſoporifero portans oblivia curſu
Pernicioſa ſibi: nec enim putet eſſe viator

Flumen

Flumen, ubi ſomnos, & muta ſilentia credit,
Et vaga non ullo prodit ſeſe unda ſonore.
Præcipuè jaceat cum conditus aggere ripæ
Amnis iners gemino, veluti ceu ſtrata ſoporo
Torpeat unda vado, Lethæoque obruta rore
Dormiat æternùm: nec quiſquam crederet illic
Eſſe vadum, niſi denſa nemus viridante corona
Conderet arbor, aquis agnata fluentibus, & ſe
Panderet in ſeriem currentibus undique truncis
Limite ſervato, volucrum nec turba canentum
Vocibus innumeris curſus ſignaret aquarum.
Ergo ſoporifero tendit per gramina paſſu
Brillius, ut mutilo lapſus cum corpore ſerpens
Languentes tortus, & lenta volumina ſingit
Collucens ſquammis, convolvens terga, ſuique
Prævius, atque ſequax; dubites, an membra ſequantur
Cum præït; an præeant, cum ſe poſt terga relinquit?
Incubat arbor aquæ, totâ levis innatat undâ
Effigies, ſplendent ſpeculari gurgite lymphæ,
Pullulat unda comis, ſtat mobilis umbra citato
Flumine, nec vivo radix abit eruta motu.
Hæret fixa ſolo & rapido fugit amne, viciſſim
Siſtitur, & trahitur; diſcerpitur umbra per undas
Integra, & hærentes vaga ſiſtitur unda per umbras.
Molliter it duris expreſſus rupibus amnis
Degener in ceram, circumque infraque, ſupraque
Pumicibus cinctus, nec quicquam è pumice tanto
Contrahit, at molli mitiſſimus agmine vincit
Naturam, & Patriam; lapidis ſic crimen abhorret,
Ut prodat, ſi quos vitreo vis aſpera fundo
Edidit, & retegat duriſſima furta, nec undis
Permittat ſervare fidem; ſtant viſcera toto

Clara vado, nitido numeres in gurgite ſaxa,
Et teneas: fluit interea molliſſimus, iræ
Inſcius, ignarus furiarum, & turbinis expers,
Totus amor, pax totus abit: nec murmurat unda,
Nec queritur, viget amne quies, ſopor incubat amne.
Excitor hîc, & in alta vocor, qua culmina monſtrant
Celſa domum, via læta patet, qua plurima fundit
Arbor opes virides, & grato limite xyſtum
Format, agens plateæ diſcrimina: paſſibus illac
Ire placet lentis, nec enim calor improbus ullum
Hic habet hoſpitium, tecta inter frondea ſemper
Vivit hyems, ſed pulchra domus ſuper imminet altis
Rupibus impoſita, & quæ culmina celſa coronâ
Arte laboratâ, & forti molimine cingit.
Ac primùm magno nos excipit area circo;
Ducimur inde aditum, triplici qui fornicis arcu
Nititur: in dextram, lævamque invitat utrinque
In ſedes diviſa domus: prius ire ſiniſtrâ
Porta monet, nigro quæ in marmore continet auri
Verba inſcripta notis, queis aurea ſigna decorem
Vix unquam addiderint, cum ſit mens aurea, ſenſus
Aureus: hic ille eſt. Spartam ſum nactus, & orno
Quam tenui. Quadrata domus nos impulit intrò
Ire gradu facili, recreat mox lumina ludo
Egregio. Menſa in faciem ſe plana capacem
Porrigit, è ligno fabricata, innixaque fulcris
Hæret firma ſòlo: panno veſtita recenti
Planities caveæ, currente hinc inde coronâ
In latera, inque utrumque caput, quæ prominet alte;
Et ligno pariter conſtat: certiſque reſurgunt
Partibus erectæ ceu propugnacula turres
Lignea, ſunt octo numero; caput illud & illud

Se-

Sex utrumque tenet, namque angulus exhibet omnis
Quattuor; in medium ſeſe inſerit una, ſuperſunt
Tum geminæ in latera, & numerus ſe juſtus adimplet.
Quis menſæ tamen uſus erit, quis turribus? Ecce
Æreus arcus ineſt parti, quæ ſumma videtur
Ad caput: huic alia reſpondet parte metallo
Pyramis è ſimili, tenui ſed ducta metallo.
Tunc baculi teretes, globulique videntur eburni
Materies ludi, baculi pars altera acuta eſt
Preſſa manu, craſſa eſt pars altera, planaque, & inſtar
Intortæ exiguum pallæ, quæ poſſit in ictus
Ire globi; & quocunque velit compellere: leges
Hæ ſunto. Primum luſorem immittere oportet
In vacuum globulum, quod ſubjicit æreus arcus:
Hac ratione habilis cunctos fit luſor ad ictus,
Ni faciat, minor ille venit, ludoque fruetur
Dimidius; duplex etenim fit jactus, utroque
Conſtat opus: primus, tenuem contingere metam
Pyramidis, ſummo quæ ſe exhibet ærea circo
Impacto globulo: ſimplex qui jactus & idem
Proſper erit; tamen alter erit felicior, idemque
Ambobus communis erit, cum impulſus ab ictu
Orbis eburneus abit, rectàque immittitur intrà
Turriti vacuum ligni, vinctuſque tenetur
Carcere: Nam dextro patratur Apolline factum.
Hos utrique licet luſori; impellere fas eſt,
Et turrim globulum in vacuam detrudere conto.
Nondum habili: poſitam jactu ſed tangere metam
Non licet; hoc illi tantum debetur, in arcum
Qui prius intento globulum conamine miſit.
Sed tamen abjecto ſpectentur cætera ludo.
O quàm pulchra oculis offert ſe pergula, longi

Limitis, & multis accommoda paſſibus! amplæ
In latera, & ruptis luci opportuna feneſtris.
Si quis amet mentis varias deducere curas,
Exercere animum, rationem inquirere veri,
Ambulet hîc ſolus: ſi quem miſcere juvabit
Colloquia, & doctas audire & reddere voces,
Incedat ſocijs comitatus, utroque fruetur
Munere, jam lætum, jam triſtem hæc pergula grato
Excipit amplexu: cui parvula xyſtus adhæret
Libera proſpectu, arboreo quoque florida partu
Inſoliti fœtus, ſeries it frondea vaſis
Clauſa ſuis, noceant teneris ne frigora plantis
Heſperidum: hic gratis ſe floribus aurea malus
Induit, & vernis animata caloribus edit
Aurea mala, quibus cuſtodia ficta draconis
Indicium pretij: porta eſt occulta: pateſcit
Cum tamen, in plateas deducit, & oppida. Rurſum
Colligor in tectum; varias diviſa per ædes
Stat domus ampla ſatis: ſpatioſa cubilia lectos,
Et lectas ſtudio menſas, ſellaſque miniſtrant.
Exhibet una gradus ſcala omnibus: una per omnes
Itque reditque domos: unum placet ire ſacellum
Ante omnes: pietatis opus, dilectaque ſedes
Cælicolis, & ſacra Deo: nitet ara paratu
Regifico, effigies Chriſti pendentis ab alto
Arboris, amplexum facilem venientibus offert;
Hinc atque hinc duplici comitatus Virgine, Mater
Virgo tenet dextram, lævam Virgo alter amorum
Diſcipulus; pendet media Cruce Chriſtus; & undas
Sanguinis effundens, quinis lavat amnibus Orbem.
Nec deeſt fida comes nitidos effuſa capillos
Magdalides amplexa Crucem, nimboſque cruoris

Immiſcet lachrymis, ſubjectaque excipit urna.
In latus excurrunt altaria parva: duorum
Cernitur hic facies ſanctorum: hæc Regis imago eſt,
Gallia quem Nonum Ludovicum cenſet: at illa
Antoni, ſolam excoluit qui primus eremum.
Sedibus his pietas, ſplendor quoque, lauta moratur
Mundities, & amica quies, hic jura decentis
Hoſpitij, quæ largus amor dat Præſulis. Ecce
Argumentum ingens: Quo Luſitanus honore,
Quo ſumptu, Quibus Officijs Legatus in ædes
Excipitur Michael à Præſule Præſul? hic ille eſt
Lameci Antiſtes, quo Luſitana propago
Tollitur in Cœlum, Regum qui à ſanguine ducta
Stirpe venit, qui Bragançæ Clariſſima gentis
Progenies: Vimioſa domus quem fudit amico
Sidere, Regali naſcens de ſtipite, plena
Quem Rex Ioannes teſtatur voce Nepotem,
Legatumque adeò Romana ad limina miſit,
Conſilijque ſtatus Comitem delegit, in illum
Atlantem velut incumbens: quem miſta Tiaræ
Laurea condecorat duplex: quarum altera doctas
Aſſimilata nives, virides ſimulata colores
Altera, divini ſapientia Numinis illam
Promeruit, Sacri Romana ſcientia juris
Hanc peperit, vivos ſubit inter adorea faſces
Laurorum in cumulum, quas gens Vimioſia factis
Extulit, & ſcutum gentile, & nomen obumbrat.
Sed præſtat ſiluiſſe, aliàs fortè ire licebit
Præſulis in tanti maiora per otia laudes.
Illum igitur precibus, votiſque in tecta vocarat
Ruſtica Sextiacus Præſul: mira inter amoris
Officia exhibuit convivia lauta, paratu

 Regifico,

Regifico, menſa extruitur cumulata refertis
Lancibus, undarum glomerantur more, ciborum
Tempeſtas pretioſa cadit, fluit undique rivis
Bacchus, & in pateris ſtagnantia vina redundant.
Huc avium genus omne venit, genus omne vocatur
Quadrupedum, quas guttur amat; condita ſapore
Fercula mirifico, partim quæ jure madeſcunt
Nectareo, partim farcimine plena, perunctis
Paniceis cruſtis, partim quæ flamma ſubegit
In varias formas, geniali obnoxia voto.
Lacteus imber abit, nix lactea conficit æſtum,
Ambroſios rident bellaria grata ſapores.
Huc Pomona ſuos effundit prodiga fructus,
Pictaque Flora ſuos, epulæ miſcentur odore:
Nimbus odorifero ſe fundit in aera ductu,
Irroratque manus. Se copia turbat: edendi
Vim minuit vis magna dapum, torpente palato
Dum ſtupet: obruitur ſtomachus, faſtidia viſus
Ingenerat, moles epularum ingeſta fatigat
Lumina: nulla fames par eſt tot lancibus: ipſa
In queſtus elementa abeunt, quod ſingula fœtu
Sint vacuata ſuo. Silet aër, & alite nullo
Raditur, haud ullis teritur terra unguibus, agros
Calvities viduos oſtentat, in otia fluctus
Torpentes abiere maris, ſiſtuntur & amnes
Attonitique lacus; unus dominatur ubique
Ignis edax, conditque epulas, elementa miniſtrant
Materiem dapibus, flammas ciet ille, minores
Eſſe tamen jactat tanta ad convivia vires.
Quid memorem cantus varios? quid plectra fideſque
Pulſibus ad numerum ferientes aera, mira
Dexteritate manus? Lunam deducere Cœlo,

Et ſolem medio poſſent ſuſpendere curſu.
Ecce autem volitat fluuialibus anſer in undis
Remigio alarum, pedibuſque fluenta fatigat
Incumbens lymphis, & tota haurire natatu
Stagna parat, partim piſcis, partimque volucris
Et natat & volitat; ſublatum guttur ab undis
Eminet, & toto deſpectat vertice flumen.
Dum moror, & cauſas mecum, ſortemque requiro
Anſeris injecti: ſubito venaticus intrat
In fluvium canis, & magnis conatibus urget
Piſcoſum volucrem: videas extendere plantas,
Remigioque levi moderari crura, movere
Alterniſque manus, & brachia ponere certis
Pulſibus in ſaltus, deducto & corpore ferri
More anguis, ſumma tantùm caput extat in unda.
Scilicet una cani cura eſt, & præda relictus
Anſer aqua: ſenſit medijs hic fluctibus hoſtem,
Et gemuit, cavitque ſibi: tunc vertit in omnes
Se facies: fuga ſola ſubeſt, hanc arripit: ergo
Innatat, & pariter volitat: tunc acrius inſtat
Hoſtis, & inſequitur; ſed diſpar viribus anſer
Deficere ut ſenſit conamina, fraudibus illum
Ludere, & arte parat: quoties canis urget, & ore
Iam propiore venit, ſubito ſe immergit in undas,
Deluditque canem: atque aliò veſtigia flectit
Tectus aqua, mox inde procul caput exerit, altis
Vocibus increpitans: miſerum ſed murmura produnt;
Et metuens nocet ille ſibi: minus ille nocebit,
Si caveat tunc ille minus, vox ipſa timentis
Præſidium, exitiumque fuit; nam voce monetur
Hoſtis, & ad miſeros torquet veſtigia cantus.
Sed tamen haud facilis captu fuit, & ſua magno,

Quamquam parta, cani victoria conſtitit: illum
Sæpe ſefellit avis furtivo erepta natatu
Ex oculis, ramiſque ſedens occulta recepit
Subſidia, & fractas vires, animoſque refecit.
Interdum penitus cum jam caperetur ab hoſte,
Qui tentabat hians deformia rictibus ora
Injicere, & rabidos in prædam infigere dentes,
Elapſus tacitè, morſum deluſit hiantis,
Ora implevit aquis: ſimilis manet ille tenenti,
Nec tenet: increpitat malis, denteſque refringit
Dentibus, & vanis tantum appetit ictibus undas,
Invituſque bibit: victor tamen exit, & anſer
Poſt varios tandem caſus & vulnera, dentes
Incidit optantis; qui præmia morte recepit
Debita pro cantu, quo celſi ad culmina templi
Tarpeij, & magni Capitolia celſa Tonantis
Romanas acies in Gallica ſigna vocavit:
Præcipiteſque dari Gallos è rupe coegit
Victores Urbis, muroſque, arcemque tenentes.
Gallicus ecce canis vindictam exercet, & anſer
Expiat immeritas Gallorum ſanguine cædes.
Legati cepere oculos ſpectacula, & omnes
Intentis hæſere animis: nam flumine in uno
Dum canis inſequitur prædam, venaticus, anſerque
Objicitur, ſimul aucupium, & venatus, aquoſus
Et piſcatus erat, volucer namque innatat, eſtque
Cum data præda cani tandem mirabilis anſer
Æthere viſus avis, campo fera, flumine piſcis.
Sed ſatis eſt. Laudes rapiunt me Præſulis. O quem
Te memorem Princeps virtute, & ſanguine clarum,
Stemmate conſpicuum, tua quod Normannia jactat
Stirpe ſuperba tuâ, ſummis quem laudibus effert

Rhotomagus, cujus te Parlamenta tonantem
Conſilijs mirata diu, queis præfuit olim
Præſes alter Avus, Præſes Pater, & ſua Frater
Nunc eſt pro meritis veſtigia digna ſequutus,
Munus idem parteſque gerens: quos Regia dantes
Iura probat, terras curans Aſtræa relictas.
Fælix ſorte tuâ: quam nobile nomen avorum
Bretelium factis Cœlo extulit; unde reſurgit
Ampla domus, quæ te genuit, quæ ſidere tanto
Edidit in lucem, melioraque fata ſequutum
Oſtendit morum exemplar, pietatis amorem,
Doctrinæ columen, ſpeculum virtutis, honeſti
Cultorem, fidei decus, & relligionis honorem.
Has tibi cum baculo dotes, mitraque reliquit
Maximus Alphonſus Richelius, ille Senatus
Purpurei decus, ille Pater, Princepſque Latini
Cardinis, Antiſtes Lugduni, & gloria gentis
Pleſſiacæ: ſurgit quo Gallia Præſule Cœlo
Proxima, quod geminum Fratris cum ſidere ſidus
Inſtar Amyclæi componat luminis, aſtrum
Dignius, & nullo violatum fœdere mortis,
Proſpera fata gerens, quo ſcintillante propago
Gallica non ullo quatietur turbine, & auctus
Acceptura novos caput inter ſidera condet.
Hic etenim tibi ſorte locum, baculumque ſecunda
Tradidit; huic fælix potis es ſuccedere, tanto
Atlanti ſimilis, dent ſidera ut omine tali
Sis quoque purpurei conſors Ludoice Galeri.
Tu ſedem hanc medijs ſtatuiſti rupibus, inter
Saxa viam rumpens, dura inter marmora molle
Formaſti hoſpitium, cauteſque ad ſancta vocaſti
Munera, quò doceas facilem virtutibus omnem

Eſſe viam; nihil uſque ferum, durumque vocari,
Quod non ingenio molleſcere poſſit & arte.
Hîc tibi ſeceſſus animi, requiemque paraſti
Integer vt, liberque Polo, Chriſtoque vacares.
Hîc precibus locus, hîc lachrymis, hîc ignea cudis
Spicula, quæ votis pennata in ſidera mittas,
In ſuperos, quos inter amas habitare, colonus
Terrarum, Cœli indigena; & pudet uſque morari
Corporis incluſum vinclis. Ah! forſitan hoc eſt,
Quod ſedem hanc inter ſublimia ſaxa coegit
Ponere, quo Cœlo intereà vicinior eſſes,
Dum terris vitam exul agis. Sed noſtra precantur
Vota Deum, ne te aſtra citò furentur, & aura
Tu noſtra potiare diu: mox ſidera ſerus
Hinc abeas, tecumque tuos, quà ſemita monſtrat
Sancta viam, ducas, ſtellato & limite ſiſtas.

VOTVM

VOTVM
POETICVM
IN TRIVMPHALI POMPA

EXCELLENTISSIMI

D. D.

FRANCISCI
A SOVSA
COMITIS PRATI,

MARCHIONIS MINARVM

LEGATI EXTRAORDINARIJ

Obſequij & officij ergo

A SERENISSIMO

PRINCIPE
LVSITANIÆ

PETRO
AD SANCTISSIMVM P. D. N.

CLEMENTEM X.
MISSI

Appenſum ad Aram S. Antonij Luſitani Patavij.

ILLVSTRISSIMO
ET EXCELLEMTISSIMO
D. D.
FRANCISCO
A SOVSA

COMITI PRATI, ET MARCHIONI Minarum, à Conſilijs Status, & Belli, in Curia Trium Statuum Senatori, Domino Beringelli, & Prati, Pacis Iuliæ Præfecto, Commēdatori Ordinis Chriſti in Commendis Deiparæ Azevij, Pennæ Viridis, & Sanctæ Marthæ Vianenſis, & Ordinis Sancti Iacobi in Commenda Sineſia, Armorum in Provincia Interamnenſi Generali, & Polemarcho, ad Pontificem Clementem X. Obedientiæ, & Adorationis extraordinario Legato.

QVæ de Adventu, & ingreſſu Romam cum triumphali Pompa tuo, Excellentiſſime D. pervagata eſt Europam Fama, eam clamores facientem Patavij audivimus, ubi Lingua noſtri Luſitani Antonij divina vivit, & miraculis loquitur. Ejus quodam afflatu excitatus arripui Lyram Maronianam, & cecini Mantuano ſpiritu: nec procul aberat

aberat Mantua. Eum Oratorem egiſti, qui te cum olim Imperatore certarit. Togatus Sagum æquaſti: imo & Paludatus Togæ huic tuæ præluſiſti, Laureatum toties caput Summi Pontificis Clementis X. pedibus ſubmiſiſti. Subſtraſti cumulos trophæorum: & acervos ſpoliorũ, ut altiùs illi pedes aſcenderẽt. Auſpicijs Sereniſſimi Principis PETRI hanc Legationis Provinciam ita ſuſcepiſti, obiſti, præſtitiſti, ut victa expectatione admirationem ei; Vrbi attuleris, cui nihil fuit admirabile, quòd erat ipſa Orbis miraculum. Vinci ſe in Pace vidit, quæ in bello invicta fuerat: Triumphaſti de Romanis Triumphis. Id per Te nova Roma eſt conſecuta, ut veteri nihil invideret, etiam cum triumpharet.

Vale.

Patriæ Decus. Luſitaniæ ornamentum.

Humillimus Exc. Tuæ Servus
Franciſcus à S. Auguſtino Macedo.

VOTVM

VOTUM
POETICUM.

PAnde tuos, Urbs Alma ſinus: juga montibus adde
Ardua ſeptenis, portarum ingentia clauſtra
Diſjice; non aliàs maior ſe gloria tectis
Viſa inferre tuis: minor olim ex Orbe ſubacto
Pompa fuit: diviſa tibi veniebat in annos,
Inque vices: cùm terra minor, nec tota patebat,
Invento nondum Orbe novo; nunc prodiga Tellus
Qanta jacet ſub Sole venit: quà reſpicit Auſtrum,
Quà Boream, quà ſe Occiduo ſub ſidere condit,
Quàque ſub adverſo nitidum caput exerit Ortu.
Una omnes Mundi Tibi Luſitania Partes,
Quas domuit, mittit: ſimul, una & luce triumphis
Nata tuis: trahit Europam, trahit aurea ditis
Regna Aſiæ, trahit ardentes, quibus Africa fervet
Terra plagas, trahit Americos ad jura Penates,
Seque addit ſociam belli, Paciſque potentem.
Ægrè oneri par Roma gemes, molemque Triumphi
Vix anguſta feres. Tarpeiæ culmina Rupis
Sub Luſitanis ſudant onerata trophæis,
Et quanquam memorent Capitolia celſa priorum,

Tot monumenta Ducum, quæ Coßus, & inclytus armis
Marcellus, quæ Scipiades duo fulmina belli,
Quæ Sylla, & Marius, Cæſar, quæ Martius Heros
Et Gener in celſo ſtatuerunt vertice, cernent
Ire minora illis, que SOUSA inducit in Urbem,
SOUSA decus Regni, genus alto à ſanguine Regum,
Bello, & Pace potens, Petri qui Principis inſtar
Mercurium gerit, & multo ſe lumine prodit
Splendidus, & nitidos radiorum circinat orbes.
Quem ſplendor generis, quem forma inſignis, & oris
Majeſtas decet: invictæ virtutis imago,
Et Pietatis honos, cui vis matura regendi,
Atque acies ſubtilis ineſt, ſeu dicere malit
Iura Togæ, leges ſævo ſeu ponere Marti.
Hunc Princeps, paret cui Luſitania, Petrus
Afflatu ſuperum, & divini Flaminis aura
Egregios inter Cives, Aulæque Miniſtros
Arbiter elegit, Romam quem mitteret, annos
Poſt tot Pontifici Legatum, ut priſca referret
Officia, & ſacris pia redderet oſcula plantis
Iam deſueta diu, & belli interrupta furore.
Ergo tribus portu roſtratis navibus, arces
Ingentes Pelago totidem referentibus, Vrbis
Solvit Vlyſſææ, Liburnaſque appulit oras,
Auxiliante freto, ventoque in vota ſecundo.
Romanis præerat divino munere ſacris
Et Pater, & Paſtor Clemens cognomine Nonus.
Hic primum excepit venientem, ac intulit Aulæ,
Ac inter Proceres admiſit ad oſcula, plenum
Relligione gravi, quæ pronum compulit ire
Ingenua, & ſacris altè ora infigere plantis.
Sed non ille diu manſit poſt illa ſuperſtes

Oſcula

Oſcula, ſublatus de luce ad ſumma volavit
Sidera: ſucceſſit Decimus de nomine CLEMENS,
ALTERIVS quondam, Romano è ſanguine cretus,
Clarus imaginibus Maiorum, & ſtemmate multo
Conſpicuus, formant quem ſidera ſena coruſco
Lumine, Cæleſtes removentia ſidera flammas:
Indole magnanima, pietate inſignis, & Aris
Deditus à puero, juris ſervator, honeſti
Cultor, opum largus, maturus pondere mentis,
Conſilio prudens, longa experientia rerum
Quem docuit clavum imperij tractare peritæ
Arte manus, & jura Poli ſacrata tueri,
Sidereas aptus reſerare, & claudere Portas.
ALTERIUS, non ille ſuus, privata relinquit
Et propria, Alterius res quippè, & commoda quærit,
Non ſua: communi natuſque, aptuſque ſaluti.
Hunc Deus invitum, lachrymantem, & ſacra negantem,
Vota ſequi, arcana impulſum virtute coegit
Subdere tergeminæ caput immortale Tiaræ,
Inque Petri Solium Romano inſidere Templo,
Atque Gregem Chriſti, Chriſti vice paſcere, & Agnos
Tingere purpureo, cui vita innata, cruore.
Hunc Luſitanis ſuperi voluere Triumphis
Pontificem, extincto Nono Clemente præeſſe.
Alter ut Alterius vice munera tanta ſubiret,
Perque duos geminatus honor maiore rediret
Fœnore. Digna fuit duplicato Præſule Pompa.
Quin triplex ea pompa fuit, ternoque triumpho
Non minor Auguſto ſe ſe SOVSA intulit Urbi
Tergeminis umbrans Capitolia celſa trophæis.
Nunc agè Calliope clangore excita tubarum
Quattuor afflatum Phæbei Numinis œſtro

Add:

Adde meo: jam pulſus agor, jam ſpiritus urget
Pierius, venaſque calor percurrit, & ignes
Ingerit arcanos. Fallit me auditus? an implet
Attonitas tuba rauca novis clangoribus aures?
Quattuor en præeunt Equites, flatuque ſonoro
Æra cient, turbamque vocant; his ſplendida veſtis
Corpus obit totum, viridi fucata colore:
Tænia quam decorat multis argentea virgis.
Spei juſtum ſpecimen: fulgent in vertice criſtæ
Candidulæ. Sequitur Legati immenſa ſupellex
Mulorum ſerie veſtigia lenta movente:
Nam grave tardat onus, triginta conficit octo
Ordo ingens numerum, ſternuntur dorſa tapetis
Stemmate conſpicuis Souſarum, hæc ſerica texunt
Fila inſerta auro, lætantur pondere muli,
His etenim ornantur, rurſum his onerantur, & unà
Mole gemunt, auroque tument; hos ordine ducunt
Octoni, ac deni Iuvenes, quos ſplendida veſtis
Argento virgata tegit, criſtiſque galeri
Plumeſcunt niveis, ludus gratiſſimus auræ.
Sed quid ego aſpicio? mularum viſitur agmen,
Purpurei de more Patres quas ordine mittunt
Inſignes phaleris; videas ſplendere galeros,
Et peras collo pendere: it læta juventus,
Quæ ſedet, & lentas placidè moderatur habenas.
Cernis ut armatos Equites, criſtiſque micantes,
Queis commiſſa manet Cuſtodia Principis Almi
Ternus agat Præſul, ceu ducat in arma phalanges?
Cedunt Arma Togæ. Properant ex ordine ſeni
Luſitani Equites, quos Gallica veſtis inaurat
Latos fuſa ſinus, variiſque interlita vittis:
Spectat ad hos Domini cuſtodia fida Cubilis.

En duodena cohors, pueri, quos educat Aulæ,
Eximijs vectatur Equis: ornantur amictu
Gauſapino, viridi gaudet quo turba colore
Impubes, currunt argenti ex ordine virgæ,
Diſtinguuntque habitum; vittarum it ſerica nubes
Verſicolor; qualis variata coloribus Iris
Viſitur, inque alto criſpantur vertice criſtæ,
Et niveis agitant cæleſtia nubila plumis.
Qui præeunt gemini, geminas cervice reponunt
Cornipedum peras, oſtroque, auroque rigentes:
His duo circundant baccata monilia collum,
Atque humeros, iuvat hos auro, gemmiſque gravari.
Quis fragor ille tamen, tundit qui pulſibus aures
Terrificis, miſcetque metum? duodena remittunt
Tympana rauca ſonos, auditu ingrata juventus,
Grata tamen viſu, ſpecie veſtitus amœna
Lumina delectat, pretioſo tympana cultu
Expandunt rapidas bombycina fruſta per auras
Vexilli in morem, quibus inſita ſtemmata textu
Argentique, aurique micant. Hæc Arma vetuſtæ
Souſarum ſunt clara Domus, inſigna gentis
Belligeræ, ſtudijſque Togæ, bellique decoræ.
Quid moror? Ecce ingens aperit ſe ſe agmen equorum
Ordine continuo, gratum eſt agnoſcere turmas.
Prima venit ſpectata manus, Legatus ab oris
Quam duxit Patrijs: juvenum vicena relucent
Corpora nobilium, quos ſplendida veſtis adornat,
Aurea materies, Phrygioque intexta labore.
Mox numeroſa Phalanx prenſantum, & ſacra petentum
Lucra Sacerdoti, ſpei dedita turba; nec ullis
Fracta moris, Vrbiſque tenax, quam nulla retardant
Vincula, nec terret vis prodiga, & indiga nummi.

Invida gens, linguæque procax, fraudumque perita.
Hæc etiam ſpe ducta decus cupit addere pompæ,
Hos Erato aſpiciens ſic te monet, optime Souſa:
Ah! ne crede illis, ſua Princeps, non tua quærunt,
Te comitaturi, dum dona optata reportant,
Te deſerturi, ſi præmia nulla ſequantur.
Melpomene tamen ire jubet, turbamque videre
Nobilium; Romana colunt qui tecta frequentes
Conveniunt. Quanto rutilant ſplendore! decori
Fronte, habitu, geſtuque micant, & ſidera Soli
Adjiciunt, facilè ignivomis numerentur in Aſtris.
Pontificis ſequitur poſt turba domeſtica ſacris
Addicta officijs, Altaribus addita, veſtes
Cæruleas Cæli ſpecie præferre videbis,
Vt moneant ſacra Cæleſtia volvere mente.
Ecquis in oblonga ſplendeſcit veſte ſacerdos
Eximio ſablimis equo? quæ gratia vultus?
Quæ gravitas frontis? juvenili ætate Catonem
Conſilio maturus agit, ſpiratque decorem
Purpureum, pedites octo comitantur euntem,
Is Petrus eſt Souſæ Legati Filius, inſtar
Luminis incedit celebris pars maxima pompæ.
Hunc ſociat Belli Præfectus, & inclytus armis,
Qui Luſitanas acies in prælia duxit
Vannicellus, agens ſtimulis adfræna rebellem
Cornipedem, domitanſque ferum, qui bella laceſſit
Priſca ferox, famulos latere ex utroque quaternos
Portat in obſequium. Sequitur Comes ille decorus
A Specula, ſpirans generòſi ſanguinis ignes,
Imperiale genus, Proles Manuelica, Souſæ
Legati Gener, & cognata ex arbore germen.
Veſte micat Phrygia, quæ tota exundat in aurum,

Cornipe-

Cornipedemque onerat pretioſo pondere, thorax
Aureus effulget, ſinus aureus, aurea limbi
Ora, nitent ſparſæ toto ſubtegmine gēmmæ.
Gemmatum tenuis non ventilat aura galerum,
Nempe auro gravidum, criſtas tantum illa comantes
Excitat; hunc ſociant, hinc inde in veſte decora
Octoni à pedibus Iuvenes. It proximus olli
Principis ad ſpeciem juvenis compoſtus amictu
Igneus, at vultu niveus: duo ſidera lætis
Scintillant oculis, pulchro ſedet ore venuſtas,
Flammeus incendit veſtem color: irrigat ignes
Aurea tempeſtas, tanta eſt ea copia! in auro
Et riget, & rutilat: ſeries it candida filis
Aſpera linteoli, quæ ductu expinxit acuto
Belgarum ſubtilis acus, augetque decorem
Diſtinguens niveo pretioſa volumina limbo.
Incumbit nitido criſtarum ſylva galero,
Frondibus ignivomæ formant incendia plumæ.
Inſignem moderatur Equum, nunc laxat habena.
Nunc premit, & ſtabili veſtigia ponere greſſu
Cogit, & in media mitem ſe ſiſtere pompa.
Circumſtant octo juvenili in corpore ſervi,
Turba decens Equitem: Legati Filius ille eſt
Ioannes à Souſa, ingens virtutibus Heros,
Franciſco ſimilis, Souſarum nominis hæres,
Speſque, decorque domus. Sequitur Cuſtodia gentis
Germanæ, quæ fida cohors vigil excubat, armis
Inclyta, Pontificis corpus quæ circuit, ambit
Atria, Dux omnes præit, & regit. Ecce coruſcat
Par geminum ſplendore novo, circundat utrumque
Iuſta cohors clavis armata nitentibus. Unà
Incedunt pompæ clariſſima lumina: lævam

 Qui

Qui tenet, Alterius Princeps eſt inclytus, Alter
Ad dextram Orator, noſtri Pars prima Triumphi,
Franciſcus de Souſa, *oculoſque, & corda frequentum*
Allicit aſpectu. Quantum jubar ardet in ore!
Frontis honos quantus! Martem qui prætulit olim,
Hic modò Mercurium pacato pectore reddit.
Nunc mihi Phæbe Pater (nec enim ſatis eſſe minora
Numina Muſarum reputo) da carmina tanto
Digna viro, ſonituſque pares; gerit ille modeſti
Formam habitus, gravitatis amans, ſpernitque colores.
Negligit & fucos, pretij non immemor, infert
Occultas ſinibus gemmas, immittit ocellis
Thoracis nitidos Adamantas, in ordine cernas
Diſpoſitos ſtellarum inſtar ſplendeſcere, & umbras
Vincere veſtitus, pullus color adjuvat, ardent
Hoc magis, obſcura quò ſe magè nocte recondunt:
Quiſque nuci par eſt Adamas: Ægyptia conjux
Hos ſi nacta foret, pretij damnaret inaures,
Projiceretque domo, ſolidoſque Adamantas amaret,
Prodiga nec vellet ſorti committere cœnæ.
Illius una fuit Regno par gemma, nec ultra
Proceſſit pretium; pendas Adamantas, in uno
Par pretium multis: tamen hos contemnit, & inſtar
Souſa nucum reputat, ceu ſpargere tentet in auras,
Copia tanta domi! circundat vitta galerum
Splendida, quæ nitidis diſtincta Adamantibus orbem
Conficit illuſtrem, criſtiſque immiſta coruſcat:
Quinque PoliZonas pretioſa hæc Zona ligaret,
Subderet his gemmis volucer Cyllenius alas,
Claraque ſiderei ſubmitteret Aſtra Galeri.
Hunc vehit acer Equus *ſimul, & veneratur, & armos*
Inclinat ſubiens pondus, dorſoque receptum

Portat

Portat agens ſpumas, tumida cervice ſuperbus,
Excutiens cervice comas, & nubila fumi
Naribus eructans, Pyroimque ad fræna laceſſit:
Arduus, & mediam gemmato ſidere frontem
Altiùs attollit; vibrant Adamantes, & Aſtra
Aſſimilant, ſparguntque faces, hinc inde coruſcant
Crinibus appenſæ duplicato lumine gemmæ.
It ſonipes, nec ſentit onus, tantoque triumphat
Pondere, ſeſſoris Souſæ memor, obvia ferro
Agmina cum meteret, ſtratos ſuperare maniplos
Viſus, & in medio pulſare cadavera campo.
Nunc tamen ille manu premit, & conſtringit habenas
Ne volet, ardentemque tenet: non ilia pungit,
Non ſtimulos adhibet, furias moderatur, & iras
Comprimit, & lento cogit procedere paſſu.
Quadraginta adeò ſociare videbis euntem
Sub Duce primano ſervorum corpora, cultu
Egregio, quali jactat ſe Gallica pubes,
Exhilaratque oculos viridanti tincta colore
Veſtis, & argenti virgis diſtincta, galeri
Sollicitant tenues plumis volitantibus Auſtros.
Vector Equus veterum figmenta irridet Equorum,
Et quanquam non vana forent, non frangeret illum
Cyllarus, aut Æthon, non Phæbus, & inclytus alis
Pegaſus, aut Cæli de ſemine natus Arion.
Victor io, clamat confuſo murmure turba,
Victor io, Souſa, ingeminat; ſeptem ordine montes
Reſponſant, Urbs tota fremit, celebratque triumphum.
Hic tamen Euterpe breviori carmine currus
Pingit, & attonitos rapit in ſpectacula viſus.
Mirum opus! Attollit primus ſe Currus in auras,
Tegmine gauſapino, rutilum quod circuit aurum

 Arte

Arte laboratum Phrygia: pars intima fulget
Nobilius, radiat vis aurea Solis ad inſtar.
Lux micat, & partes radios diffundit ad omnes.
Viſitur in ſummo laquearis ſtemma coruſcum
Aurato incluſum clypeo, gentile ſuperbum
Souſarum: Pueri circumfunduntur in orbem,
Alluduntque operi, vivoque animantur in auro.
Quattuor in pinnis extantia Poma metallo
Fuſa cient oculos, auroque illuſa fatigant.
Hæc partes Mundi totidem partita figurant;
Has ſuper armato ſe Luſitania cultu
Altius extollit: vis Martia vivit in ore,
Dextra tenet Sceptrum, Vexillum læva revolvit.
Clarius in Plauſtro, quo Machina nititur, auro
Tota rigens, occulta oculis ſe ſymbola produnt,
Ac referunt ſenſum. Parte anteriore coruſcant
Effigies geminæ, ſolidoque ex ære rigeſcunt
Tectæ auro. Rapido ſuperinſidet una Leone,
Caſſis aperta caput profert Elephantis, eburno
Stemmate, ſerpentem dextra premit, & pede calcat
Ardentes colubros: hæc Africa dicitur, æſtu
Torrida, ſerpentum patiens, atque indiga nimbi.
Altera læva ſedet ſcopulum ſuper, obſita pennis
Mollibus, & varijs, tenet Arcum, & ſpicula vibrat,
Ante pedes pharetra, & Crocodili apparet imago.
Talibus Illuſtris ſe prodit America ſignis.
Poſteriore duplex ſe parte oſtentat imago
Nobiliore modo: dubites an vicerit artem
Materies, rurſum hæc mira vincatur ab arte?
Viſitur ad dextram Princeps Europa, Coronam
Quippe gerit, nata Imperio: generoſa ſuperbo
Fertur Equo: dextra ſe Copia Florida cornu

Inſerit,

Inſerit, & vario fœcundat germine terras.
Lævi tenet Templum, ſuperumque oſtentat honores
Relligionis Amor, Fideique incenſa Cupido.
Inde ſiniſtra Aſiam manus exhibet, illa camellum
Inſidet extantem gibbo, redimita vireſcit
Floribus, ardentem dextra prætendit acerram,
Thuri cremans prono diffundit aromata flexu,
Ambroſios roſeo de vertice proflat odores.
Regni per has fundunt ſe Luſitanica Partes
Quatuor, hàc magni ſequitur veſtigia Solis:
Et quà ſe radijs tendit radiantibus, illàc
Paſſibus armatis ſe Luſitania fundit.
Stare vides Puerum Souſarum clara ferentem
Arma manu, Europæ lateri ſe ſe addit, & inde
Stemmata barbarico gentilia monſtrat in auro.
Expreſſos Clypeo credas rugire Leones.
Mox Aſiam propè conſiſtit Puer alter, & ore
Pallenti horridulum portatque, timetque Draconem,
Implexum ſpiris, revolutumque orbibus orbes,
Expanſis ſonantem alis ſuper æthera ferri.
Heſperidum Cuſtos hic aurea poma tuetur,
Pervigil; hunc ſumpſit ſibi Luſitania pignus
Et Fidei, & fidi monumentum inſigne laboris.
Tantus honor Currus: tanta eſt ea gratia: certant
Cum primo reliqui: numerum diſcernere fas eſt,
Non tamen ornatum; pretium eſt æquale, viciſſim
Vincuntur, vincuntque, pares Ars reddidit, auro,
Argentoque nitent. Peregrina huc vellera Seres,
Huc Arabes byſſos, lanas Mileſia pubes,
India bombyces, Hollandica lina juventus,
Gallica vittarum cumulos, gens Anglica pannos.
Italia ex auro textus, Hiſpania telas,

 Contulit:

Contulit: huc Phrygius ceſſit labor; omnis acutæ
Sudor acus hùc fluxit, Ion in tegmine quidquid
Mollis agit, totum hoc videas ſplendeſcere ternis
Curribus! Hi præſtant reliquis, quæ turba minorum
Magna fuit: ſeptem numeres, quos arte venuſtas
Eximia depinxit acus. Tres ordine primi
Alliciunt oculos, & lumina mille remittunt.
Gratior ille trium, quem Souſa è littore ſecum
Eduxit Patrio, forma novus, & novus arte,
Luſitana manus quem prodiga finxit, & auro
Obruit, & ſignis diſtinxit, & undique lamnis
Compegit ſolidis argenti, & ductilis auri,
Æris & adjunxit cruſtas, clavoſque trabales
Addidit, illuſos auro. Pretioſa venuſtas
Excubat in Curru: Dea Cypria ridet ab alto
Culmine, vicinoque hilaris conniuet Amori.
Quid memorem ſenos generoſa è ſtirpe jugales
Ornatos phaleris, auroque, oſtroque coruſcos,
Qui currus cervice trahunt, tantoque ſuperbi
Pondere, fumoſos efflant ad ſidera flatus?
Ire vides pronos oneri, faſtuque tumentes.
Quòd ſi Solis Equi vellent deſcendere curru
Phæbæo, & mutare vices, ſuccedere nollent
Sortem indignantes, & dente, & calce minantes,
Tendere ſi properent ultrà, & compellere tentent.
Non aliàs quondam vidit Roma inclyta Currus
Aſſimiles, quanquam ex Aſia ſe Scipio ferret
Lucius, & Magnus ſpolijs Orientis onuſtus
Ingrueret Romam: minor ille invectus in Urbem,
Paulus, Alexandri ſuperata prole, Metellus
Viſus & ire minor victis Cretenſibus, impar
Mummius exciſa Capitolia ad alta Corintho.

Venit,

Venit, & Auguſtus triplici cùm tecta triumpho
Romana ingreſſus Cleopatræ invexit in Urbem
Divitias, curru inferior ſe ſe intulit: omnes
Quos Erato memorat ſuperavît Souſa triumphos.
Nec ſemel hoc Pompæ ſpecimen dedit, auxit honorem
Tergeminum, ter ſe in aciem, & quater intulit, Urbem
Attonitam mutato habitu recreavit, & auro
Deciduo implevït: tum primùm è nubibus aurum
Impluit, & fulvi fluxere ex aere nimbi.
Aurea Saturni renovavit ſæcula Souſa.
Largus opum contempſit opes, tam prodigus auri,
Ut quantum reliqui capiuntur amoribus auri,
Tantum odijs flagret ille auri: ſæpe ille novavit
Inque vices habitus comitantum, & digna ſequentum
Præmia, & arriſit ſemper pretioſa ſupellex.
Vive diu Princeps, & Petro Principe dignus.
Quis plauſus, quæ turba virum! Fora, Compita, Circi
Undarunt populo, gemuerunt mole feneſtræ
Spectantum. Hîc habitari Arces, & celſa domorum
Culmina conſpiceres, ſuſpendi corpora, & auras
Quærere ſpectandi ſtudio: pars maxima terris
Incubuit: mirum videas! quæ cernit ab alto
Firma ſedet, quæ firma ſolo, non fixa quieſcit,
Currit, & hinc, ac inde volat, viſuque potiri
Sæpius affectat, conſiſtere neſcia; felix
Creditur illa domus, quà tranſeat ille, putatur
Infelix, ſi mota procul viduata receſſit.
Purpurei Romæ Cæleſtia lumina Patres
Indulgent oculis. Virgo ſe Regia prodit
Inter fæmineos, ceu ſplendida Cynthia, cætus,
Suecus honos, fidei decus, & lux unica Regni.
Sexus uterque avidus ſpectatum accurrit, & urgent

Ut

Ut videant alios alij: ſtudioſa tumultu
Pacifico ſcindit ſe Roma, & ſcindere gaudet
Se concors animis, oculis diviſa: fruendi
Ardeſcit ſtudijs oculorum, & prælia format.
Nec minus aſpectu Souſæ digna extitit Aula
Regifico luxu inſtructa, & contecta paratu
Magnifico. Pars exterior ſpecioſa refulſit,
Et Belli, Paciſque notis. Pendebat ab alto
Quadrum immane micans, auro, Romæque gerebat
Effigiem, Reginæ inſtar, celſoque ſedentis
In ſolio, Regum plantis capita alta prementis,
Afflantiſque decus. Lupa viſitur, & nova proles
Romulus, atque Remus circum ubera lactea ludunt.
Hanc armata colit propè Luſitania ſceptrum
Subjiciens, ſubdenſque caput: ſtant quattuor amnes
Præcipui. Verſat totam Tagus aurifer Vrnam,
Et liquidas effundit opes, auroque redundans
In ſteriles intrat Tyberis currentis arenas.
Monda nitet ſtellis, ſcintillant ſidera puro
Mixta vado, ripas conveſtit Pallas oliva,
Atque Academiæ docet hanc aſſueſcere Lauris.
Durius inde ruit ſpumoſis turgidus undis,
Arma ferens Pelago: medius canit Orgia Bacchus,
Mixta fluunt placidis ſpumantia vina corymbis.
Addit ſe ſocium Cerealis Minius agros
Oſtentans latos, quos ſpicea meſſis inaurat:
Arrident vitrei feſtivo murmure Fontes.
Sed quid ego aſpiceo? Sex ſidera fulgere Cælo
Purpureo in tabula depicto, & lumine ſeno,
Alterij ſtellas gentilis ſanguinis Arma
Fingere, Mercurius, Venus hinc, & Luna coruſcant:
Iuppiter inde nitet, Mars, & Saturnus, inanis

Stat medius ſine Sole locus, ſed Solis ad inſtar
Alterij radiare vides in lemmate nomen.
Nempe ſuum noſcunt non hîc ſua ſidera Solem,
Sed Solem Alterius meliori lumine noſcunt.
Cerne ignes inter rapidos conſurgere ventos,
Et niti ad Superos: vis nulla retardat, amantes
Quominus Alterij certent aſcendere Cœlum.
Quin etiam Fluvijs ſuus eſt, & motus, & ardor,
Alterius ſuccendit aquas, igneſque miniſtrat.
Tantus amor, tam cara Viri præſentia! Paſtor
Ille Greges amat, & rurſum redamatur, Ovilis
Et cura, & cuſtos: nil charius accidit agnis
Hoc decimo Clemente: Patrem ſe ſe exhibet ille
Omnibus, atque parem, nec jura offendit amore.
Excubat hic ſacri vigilans cuſtodia Templi
Ille Draco, fœlix quem Luſitania ſumpſit
In ſtemma Imperij, Temploque affixus inhæret,
Qui ſuper incumbit magno molimine Petræ.
Excubat ad Petram Draco Luſitanus, & hoſtes
Arcet, agens flammas, & ſidera provocat alis.
Hic iterum partes Orbis monſtrantur, & Arma
Luſitana tremunt, in marmore ſigna rigeſcunt
Muta metu, agglomerant alis ſe ſe agmina mille
Aligerum, clypeoſque tenent, quos ſtemmata pingunt
Pontificis ſeno contexta è ſidere: dextram
Illa tenent, Cœlumque cient, pars læva coruſcat
Stemmate conſpicuo, quo Luſitana potitur
Majeſtas; Stellis reſpondent vulnera ſenis
Quina pari cultu: divino munere parti
Gentiles Clypei, latere ex utroque reſurgunt
Erectæ ſeptem, ceu propugnacula Turres
Stemmatis appendix Lyſij, Cuſtodia Cœlum eſt

Turri-

Turribus, & rurſum Turres cuſtodia Cœlo.
Vltima Pars Zonam diffundit, & implicat, unde
Circulus efficitur, cujus ſpectantur aperto
Sidera ſena ſinu, medius Leo fulminat armis
Legati gentile decus: prius ille micabat
In ſuperis ſidus Cæleſte, at lumine fulget
Nunc meliore Leo, Decimi Clementis ab Aſtris.
Ampla domus tanto Souſæ ſplendore nitebat.
Dulcius hic cecinit plectro meliore Thalia
In Vaticani conſiſtens culmine Templi.
Hæc memorat Souſæ adventum ad Sacra limina Petri.
Ut fuerit Curru excendens gratante receptus
Conſeſſu Procerum, ſeu quos Toga ſervat in Aula,
Seu quos Roma foris juſtis exercet in Armis.
Venerit ut Princeps juſſu Clementis ab alto
Culmine per ſcalas Alterius obvius, illum
Sacrorum inſigni Patrum comitante Corona,
Queis lemniſcatæ decorant Capita alta Tiaræ:
Vtque gradus ſcandens ſuperam pervenerit Aulam,
Intimaque ingreſſo reſeraverit oſtia Clemens,
Adque pedum ridens admiſerit oſcula, more
Chriſtiadum: Quanto ſenſu pietatis adorans
Numinis effigiem ſe ſe dejecerit, inſtar
Supplicis agnoſcens mortali in pectore Chriſtum.
Vtque manu Clemens ſublimem ad chara levarit
Pectora. & amplexu renuentem adſtrinxerit arcto.
Mox aures dederit dicenti, & nomine Petri
Principis obſequij ſolemnia ſigna ferenti.
Atque ut reddiderit vultu reſponſa benigno
Clemens officij memor, & teſtatus amorem
Res Luſitanas pleno cantaverit ore,
Inclyta commemorans meritæ præconia gentis.

Ut

Ut comites hilaris Souſæ ſuſceperit omnes,
Ditaritque opibus Cæleſtibus. Addidit ore
Cæleſti Urame ſuggeſti munera. Dixit
Pro Roſtris Velez Caldeira Antonius, ille
Regius à Souſæ ſecretis, aurea fandi
Copia cui, geſtúſque decor, vox plena, Latina
Dictio, Romano facundia digna Theatro.
Audires flores Hortenſi, & lumina Craſſi,
Gracchorum nervos, Ciceronis fulmina: punctum
Omne tulit, docuit, recreavit, ſuaſit, & artis
Explevit numeros: cuncti ſtupuere tonantem.
Mira loci facies, regali ornata paratu,
Attalico ſplendore micat, ſublimis in alto
Fulgebat Clemens ſolio, & ſpirabat honorem
Sidereum, Patrum ſeries comitata nitebat.
Hic Barberinus ſuperi pars prima Senatus,
Alteriuſque nepos Decimi Clementis, & alter
Clementis Noni, qui Roſpilioſius: inde
Qui Legatorum muniuſque, viceſque gerebant
Chriſtiadum Europæ Regum; pro Principe miſſus
Haſſius Auſtriaco, Gallo Eſtius, egit Etruſcus
Hiſpanum Medices, Vrſinus jura Poloni
Exhibet, Otthobonus Veneti fert ſigna Senatus.
Hic mihi Terpſichore velo feſtiva remoto
Indicat inſtructas lauta in convivia Menſas,
Candida demittunt tenues mantilia villos,
Aurea vaſa micant, Clemens ſedet, & ſedet unà
Orator Souſa, infertur pretioſa ciborum
Copia; & Ambroſia replentur fercula, vina
Nectaris inſtar habent, dapibus ſe pocula miſcent,
Alternat dulces grata vice menſa ſapores,
Muſica vis epulis accedit, & imbuit aures

Canti-

Cantibus, atque nova replet dulcedine menſas.
Inde alij Proceres epulis, vinoque reſecti,
Et Gener, & gemini Souſæ Nati, ordine primò
Excepti, paſtique ſimul: mox cætera pubes
Nobilium: tum turba minor, nemo exijt expers
Lætitiæ Cereris, Bacchique: effuſa ciborum
Tempeſtas ſtomachos quatijt, teſtantur honorem
Congeſtæque dapes, & naufraga pocula vino.
Poſt epulas requies, requiemque ſecuta voluptas
Eloquij, ſcitique ſalis, grateſque relatæ
Clementi Decimo, qui tot monumenta favoris
Exhibuit Souſæ, patrium teſtatus amorem.
Hic repetita pedum poſt oſcula ceſſit ab Aulà
Souſa, novans iterum claræ ſpectacula pompæ,
Innumero Populi concurſu in tecta reverſus,
Luſtrataque iterum proprios redit Urbe penates.
Fortunate nimis (canit hæc Polihymnia) Souſà,
Souſa decus Patriæ, quondam Dux inclytus armis,
Palmarum cumulus, laurorum invictus acervus;
Qui toties victo ſtatuiſti ex hoſte trophæa!
Felicis nunc pacis amor, blanduſque togatæ
Gentis honor, Romam veniens Orator ad Vrbem!
Tu Luſitani Regni decus invehis aſtris
Coujungens Latiæ Patrium Diadema Tiaræ;
Intermiſſa diu nectens conſortia, reddis
Paſtores ovibus, viduataque Templa decori
Reſtituis, natiſque Patrem das jungere, charo
Amplexu, & ſacris ferre oſcula dulcia plantis.
Hæc votis optata olim te Souſa manebat
Gloria, ſub Decimo Clemente, ac Principe Petro;
Quos Deus hoc geminos conjunxit tempore, ſacri
Officij memores, ut ſubderet ille Coronam

Offerret-

Offerretque greges, hic veſtem effuſus in ulnas
Acciperet, tegeretque ſinu. Concordia tantis
Firmata auſpicijs ſic fædere nectet utrumque,
Viribus ut tandem collatis Turcica Lunæ
Cornua confringant, Mahometi & buſta reſolvant
In cineres, ſacrique adimant monumenta ſepulcri
Odryſijs manibus, ſuperiſque Altaria reddant.
Omnia conficient Duce Te, SOUSA *inclyte, nullus*
Te melior: tanti penes eſt Te gloria facti.



EXCELLENTISSIMO

D. D.

MARCHIONI DE FONTANE.

VNde cadunt nivei brumali tempore Flores
Candidiore die, curruque invecta nivali
Non jam rubra Roſas, ſed candida Lilia verſat
Inſiſtens Aurora rotas? niveique jugales
Purpureos ſpargunt albenti aſpergine frenos?
Scilicet hic habitus lucem decet, ille Triumpho
Eſt color aſſimilis: ſe Gallia jactat honore
Læta nivis, florent candentia Lilia prato
Stemmatis. Ingenijs eſt candor, & inſita genti
Candida temperies, lactis color ore renidet
Purior, & verſu jam lactea colla Maronis
Romanâ celebrata fide: tamen igneus ollis
Impetus, in bellum vis ſuſcitat ignea gentem.
Candida lux, niveoque venit ſignanda lapillo,
Gallicus Orator qua ſeſe inſignis in Vrbe
Deſuper oſtentat, curruque invectus aperto
Eminet, & roſeo ſpectabilis ore videtur,
Et qualis, quantuſque ſolet, formamque togati

Martis habet, mixtumque decus conjungit in ore
Majeſtas & Amor, pariterque in fronte decorem
Componunt, junguntque faces. En pompa tumultu
Mixta Triumphali, totis vomit ædibus undam
Spumantem populo, ferventque in limine currus
Impliciti, turbantur equi, nexiſque reſultant
Calcibus, & preſſis luctantur in ardua frenis.
Prælia pace gerunt, belli ſimulachra relucent
Feſtivo concepta die. Iam vincula portæ
Laxantur, certantque leves prodire jugales.
Centum adeò, centumque alij de carcere currus
Effudere ſuo, quos maxima Roma remiſit,
Legato obſequium, lucemque decuſque Triumpho,
Pulchri omnes, ornati omnes; ſed maximus illis
Splendor, in occurſum quos Vrbis honora propago
Purpurei miſere Patres, quos lumina Gentis
Patritiæ, quos legati qui Vrbana frequentant
Limina. In his cernas ſplendeſcere largius aurum,
Atque ferire oculos ſpecularia fortiùs, ire
Denſius in glomos pendentia fila, nitere
Auro axes, auroque rotas, auroque lacunar
Tectum auro, pinnaſque ſuper palleſcere in auro.
Ante alios tamen effulgent, quos legit ab omni
Orator numero, videaſque excellere ternos
Lumina terna Chori. Geminos ſibi ſumptibus aptat
Ille ſuis: alter ſtat munere miſſus. Amici
Germanus geminis: Romanæ hunc gloria gentis,
Deliciæ populi, Patriæ Decus, Vrbis amores,
Vrbanique Nepos, ſpes altera, Cura Senatus
Purpurei, viſu jucundum Antonius olli
Obtulerat, pignuſque animi, mentiſque benignæ
Officium; nitet ille auro, flavoque refulget

Lumine

Lumine. Fronte micat Sol aureus, undique jactat
Ex auro radios, Solemque in bella laceſſit.
Ornantur viridi Bombycina texta colore:
Aurea dependent fila undique, & undique clavi
Aurea fulcra ferunt: tali Venus aurea curru
Ibat, anhelantis cùm torva in prælia Martis
Egit equos, rapuitque oculos bellacis, inermi
Armatum jaciens in vincula blanda decore.
Hunc ſibi delegit pulchrumque, aptumque triumpho
Gallicus Orator, meruitque hoc nomine palmam.
Alter huic ſimilis ſpectantum lumina currus
Fixa tenet: quo ſe medijs jactantior Aſtris
Inderet Alitibus Iuno ſubvecta ſuperbis.
Nec minus ille micat, rutili qui tertius inſtar
Solis agit radios, luciſque offendit honorem,
Conturbatque diem. Tali ſe Iuppiter olim
Intulerat Cœlo, tumidæ cum prælia Phlegræ
Vicit, & hoſtiles dejecit fulmine montes,
Exhilarans læto pallentia ſidera vultu.
Omnibus in tecto laquearia pulchra renident,
Auratæque micant flammæ, queis ſtemmata lucent
Aurea Legati, radijſque effuſa nitentes
Efficiunt orbes: hic ſidera lucida gentis
Devualiæ, paciſque decus, bellique decorem
Significant: turris ſeſe ardua tollit in auras,
Et pinnis redimita nitet; tres æthera corvi
Sollicitant pennis, & inania nubila radunt.
Fruſta cient chalybis bella horrida, dura metallo
Stat facies: tali ſe clauſtra molaria ferro
Conſtringunt, terna ſe cuſpide munit acumen,
Quod coit è facie duplici, & ſinuatur in arcum.
Hoc ſeſe clypeus quadrati ſtemmatis aſtro

Flammeus oſtentat, ternique hoc ſidere currus
Irradiant. Sed turba ruit, plauſuque movetur
Concita, dantque locum latere ex utroque jugales.
Effundunt ſeſe Gallorum examina portis,
Queis viridi florent inſignia corpora veſte,
Hi primi pedites abeunt, ſervique vocantur
A pedibus, juvenes: hilaris ſtat gratia formæ
Omnibus, argenti diſtinguitur ordine veſtis
Omnibus, argenti percurrunt cingula limbum.
Hi præeunt currum: mox hinc glomerantur, & inde
Inſignes facie pueri, queis plurimus ore
Splendor ineſt, vibrant oculi, nix candida frontem
Commendat, roſeuſque genas pudor inſidet, omnes
Impubes, criſtati omnes, & veſtibus omnes
Aſſimiles, viridis queis ſe color imbibit, auro
Mixtus, & argento: circundant undique currum,
Et glomerant, volitare putes: ſic igneus olim
Idaliam Matrem circumvolitabat, in orbem
Diffuſus Puerûm Chorus ales, & alite penna
Ludebat, jaculiſque potens, celerique ſagitta.
Ecce autem rapido glomerant veſtigia paſſu
Cornipedes, currumque trahunt; quo maximus ille
Emicat Orator; videas ſentire jugales
Pondus; ineſt ſenſus; partim geſtire videntur,
Et paſſim ſudare oneri: curvantque, levantque
Colla jugo, funduntque comas, merguntur in auro,
Eque auro flammantur equi: tamen ardua tollunt
Pondere ſub tanto capita. & cervicis honores
Ingeminant. Tales Phaeton induxit in oras
Æthiopum, Cœlo cum præcipitatus ab alto,
Detulit in terras ardentia lumina Patris.
Aſt melior Phaeton ſe Fontanæus in Vrbem

Majeſta

Majeſtate nitens, cumulatus honoribus Heros
Invehit: hic ſtudijs Pacis, belliquè ſuperbus
Emicuit: ſenſere acies, Hiſpanaque Martem
Agmina, Mercurium ſenſit tamen Anglia, Roma
Illum iterum admirans coluit, ſenſere Senatus
Conſilio, verbiſque bonum, nec caſtra Minervæ
Deſeruit, Lauroque Hederam conjunxit, Olivam
Pacificam Palmis ſociavit, utroque revinctus
Germine, Cæſareos Patriæ donavit honores.
Illum Relligio, virtuſque in blanda levarunt
Brachia, cum primas in luminis editus auras
Exijt; illum adeò Charites lactaſſe feruntur
Sidereæ, tantus cordi pius ardor Amoris
Ingenitus, talis ſeſe reverentia Cæli
Senſibus inſeruit; veræ Pietatis Imago
Spirat in egregio, nuſquam præſtantior, ore.
Quantus honor vultu! celſo quæ corpore lucet
Majeſtas! vivax oculis ſtat gratia, mixtâ
Sed gravitate nitet. Vultu mireris in uno
Compoſitum decus: hinc ſe Gallicus exerit ardor,
Itala & inde venit gravitas: vis ignea mentis
Gallica Romano ſe pondere temperat, unus
Laude viget gemina. Pauci quos æquus amavit
Arbiter Aligerum, pauci potuere viciſſim
Has dotes miſcere animo: gratiſſimus ille
Exiſtet Latio, Patriæ chariſſimus, Urbem
Conciliare ſibi, Patreſque innectere Amoris
Hic poterit vinclis, Urbani pectora blandis
Vinciet obſequijs, Sanctumque ad fœdera Patrem
Pelliciet; Capitique ſuo dabit æquus honores
Promeritos, Regni commiſſa negotia nutu
Pontificis geret, & Fidei defendere pàrtes

 Extur-

Exturbare hoſtes, depellere bella parabit.
Hic Barberinæ ſpecioſa inſignia gentis
Relligione colet; ſtudioque incenſus amico
Regales Apibus flores, & Lilia melli
Gallica conjunget, nexuque utrumque ligabit
Perpetuo. Viden ut clypeo ſociantur in uno
Poſtibus adverſis & Apes, & Lilia? ſanctum
Utraque fœdus habet. Iurant in mutua flores
Fœdera; Apes jurant, & conſentire venuſto
Quis neget amplexu? non ſanguinolenta Leonum
Fulmina mixta vides Apibus, ſed Lilia grato
Candida conſpectu, queis ſeſe examina paſcant,
Unde trahant liquidos ad mellea penſa ſapores.
Hoc Romana ſonat per compita plena juventus,
Quâ vehitur curru, plateæ clamore reſultant
Feſtivo, mille hinc voces, mille inde canoræ
Ingeminant turbæ, donec ſe limite Summi
Pontificis poſuit, ſacrique ad limina Templi
Subſtitit: hic votis excitam ſedibus Urbem
Repperit: undabant populi, turbæque procellas
Confuſæ ordinibus, plauſu fervente, movebant.
Nuſquàm tantus amor, nuſquàm tot cætibus agmen
Implicitum. Curru egreſſum comitantur in alta
Atria conſpicui Procerum, formantque coronam
Egregiam, nitet ante omnes, & vertice toto
Eminet, & ſatiat ſpectantum lumina. Tandem
Arcanum Patris Urbani Penetrale recepit
Projectum ad plantas, atque oſcula digna ferentem,
Subdentemque caput Ludovici nomine Regis,
Quem Roma Fides maiorem dicere natu,
Et ſolet, & debet: meruit ſibi Gallia tantum
Hoc decus. Aſt illum celſo de culmine juſſit

Attolli

Attolli Vrbanus; voluitque audire ſedentem.
Cætera ſacra Fides, & ſancta ſilentia ſervant.
Egreſſus petit inde domum, qua præſidet ille
Os Patrui, Fideique Atlas, quo nixa recumbit
Relligio, qui jura tenet, qui ſacra miniſtrat,
Franciſcus, qui dextra manus baculuſque Parentis
Urbani, qui melle favos, & nectare condit:
Excipit hic vultu venientem, oculiſque benignis,
Longius alloquitur, multo & ſermone moratur,
Conſiſtitque diu: tandemque ad limina Fratris
Alterius cupidum fraterno more remittit.
Hic brevior ſermo; ſed non minor inde voluptas
Parte venit, miſcentque manus, riſuſque viciſſim,
Amplexuſque novant: ſed jam monet hora receſſum
Tardir, inclinat medio Sol pronus ab axe,
Excectque datam pulchra ad convivia metam.
Ergo omum regreſſus adit, repetitque Triumphum,
Ad prtam clangente tuba; nam bellicus illum
Ardor habet, Martiſque juvant ſimulachra, ferocem
Inque apes ſtimulant animum, ſonus ille ſaporem
Concilit; minus illa placent, quæ fercula Pacem
Blandâerunt, animata probat, quæ Martia bellum,
Et pugns ſapiunt; ſed quæ dedit ordine menſa
Regifico numerare pudet: ſunt iſta minori
Emodulnda ſono; has etenim de more miniſtrat
Quotidi menſa expoſita, & Regalibus implet
Delicijs. ſalve ò ſecli pulcherrima noſtri
Gloria; Ir. ſalve, Regiſque inſignis Imago,
Quem metis, quem fronte geris; te Gallica tellus
Laudibus xtollit, tecum jactantior aſtris
Inſerit auguſtum caput, & ſublimia pulſat
Sidera. Gtiles Regali è ſanguine truncos

  Conde-

Condecoras, & tollis avos, te Roma ſuperbit
Hoſpite, te veteres Urbem ingrediente Triumphos
Vidit, & illa prior tecum ſibi reddita Roma eſt.



TRRIS

TVRRIS LIGNEA,

QVA SANCTISSIMUM CHRISTI Corpus vehi ſolet in ipſius feſto per Vrbem Vincentiam in ſtatutu veneto.

Machina, quæ montes ſuperat, nubéſque laceſſit,
Non Atlante minor; qualem non mœnia Thebæ,
Pergama nec ſenſere parem, cùm ligneus urbem
Troianam depreſſit equus. Qui ſuſtinet Ætnam
Enceladus, viſâ fatali mole timeret,
Pondus & aufugeret, diffiſus viribus. Atlas,
Ille Atlas, humeris Cœli qui ſuſtinet orbes,
Detrectaret onus: mallet ſubſidere Cœlo,
Quàm moli laxanti humeros. Babelica turris
Non tanto in ſuperos ſeſe projecerat auſu.
Lignea maiori turris temeraria faſtu
Aſtra petit ſurgens, ſubjectíſque ardua tectis

Incum-

Incumbit, terrétque domos, urgetque plateas
Mole gravi, frangítque oculos, Cælúmque fatigat.
Sed tamen illa venit feſtivo ornata paratu,
Conſumítque metum, nutúque invitat amico
Mollior aſpectu. Iam lumina provacat arte
Palladiâ: ſurgunt tabulata enormia, textu
Arcano conjuncta ſibi. Fundamina tanti
Digna operis, vario trabium ſeſe ordine moles
Excipiunt, basímque ſtruunt, quâ machina ſiſtat.
Altiùs aſſurgens juſti molimine quadri
Aſſeribus formatur opus. De more carinæ
Nectuntur tabulæ, clavîſque, & funibus arcte
Stringuntur, ſtabiléſque hærent ſibi, nequa pericli
Sit species. Paulùm ſeries ſublimis in altum
Compoſitis lignis conſurgit acutior: inſtar
Pyramidis tamen obtuſæ, quæ culmine celſo
Suſtineat Puerum, manibus Vexilla tenentem,
Inſtantémque Notos, Auſtróſque in bella vocantem.
Inſiſtit pedibus faſtigia ſumma Coloſſi,
Aeris, & Cæli Dominus, vicinior aſtris,
Quàm terris, melior Phaetonte, ac tutior, arctis
Conſtrictus nodis: ſecreta ligamina ferri
Nam retinent, ſummóque docent conſiſtere ligno.
Sunt alij ſubtus pueri, quos ordine turris
Excipit in gremium varijs ſtationibus; omnes
Veſtibus inſignes, texit quos byſſus, & aurum,
Filaque Bombicum formata in ventribus. Albent,
Atque ardent pariter gemmis, paritérque pyropis.
Dixeris Aligeros: tanta eſt in fronte venuſtas!
Tantus in ore decor! fuſa it per lactea colla
Aurea Cæzaries Phæbo æmula: Sidera pulchris
Scintillant oculis, Cæleſti digna theatro;

Turba recens annis, & puræ innoxia vitæ.
Sed quid ego aſpicio? medium quâ machina format
Iuncta ſinum, ſe mira aperit rota mobilis, inſtar
Zodiaci, ſi ſigna notes, nam tota puellis
Plena patet, capiunt quos certa ſedilia, firmâ
Sede ſedent, currente rotâ, volvuntur in orbem,
Inque vices motum peragunt, celeríque rotatu
In caput aſpicies nunc ire, iterumque redire
Innocuo curſu, ſemperque inſiſtere recto
Corpore; non nulla capitis vertigine, nullo
Ordine turbato, ſervatis ſedibus hærent,
Continuo in motu, ſecuro corde quieſcunt.
Quid memorem turris picturam, & mille colorum
Iucundam ſpeciem? Non ſe Thaumantias arcu
Gratius oſtentat, cum ſeſe ad lumina Solis
Explicat, & variâ depingit luce colores.
Tortilis it byſſus per lignea texta, recurrit
Serica materies, atque aurea bractea miſcet
Brachia per nexus, rurſúſque argentea fila
Excipiunt nodos, & pulchra volumina fingunt.
Hac habitare Venus Chariteſque in ſede videntur.
Innumeri circùm populi funduntur, & artem
Mirantur, plauſúmque cient: viduata colonis
Arva gemunt; omnes videas errare per urbem
Attonitos, turrémque ſequi: tranſiſſe putabis
Oppida in urbanas, miſſis agreſtibus, ædes.
Quin etiam cives excivit machina famâ
Euganeos; ſunt digna oculis ſpectacula juſtis,
Sunt apta ingenijs maioribus. Illa referri
Iure poteſt inter ſeptem miracula turris,
Aut formare novum, ſi par ætate fuiſſet,
Credo equidem. Rhodio non cederet illa Coloſſo.

Hanc

Hanc pia conſtruxit Chriſto Vincentia molem,
Cum maiora ſui ſpectacula pandit amoris,
Et ſacram miſeris Divini Corporis eſcam
Præbuit in cæna, & Divini Sanguinis hauſtum.

DIVINVM SYMPOSIVM CONIMBRICENSE

in 40. horarum ſolemnitate.

REgia quâ Cœlo aſsurgit Domus edita ſummo
Vertice, quo ſeſe Conimbrica tota coronat,
Quam Reges poſuere, & nomine ſignat Ieſus;
Admiranda patent oculis ſpectacula rerum.
In ſummo Templi media teſtudine moles
Tollitur, in ſeriem currentibus undique flammis;
Aurea cui gradibus ſurgunt faſtigia, in orbem
Diſpoſitæ crates cingunt tabulata; ſupérque
Stat ſolium ex auro, quod flammeus excipit ales
Purpureum in gremium, & pennarum tegmine obumbrat.
Hic nivea ſub nube latet velatus amictu
Triticeo Deus: in varias quem vertere formas
Noster amor potuit, verbíſque potentibus egit
Induere hanc faciem, & panis ſimulare figuram.
Huc effuſa ruit tectis Conimbrica, & omnis
Excitur populus, pendétque Tonantis ab ore,
Attonitis inhyans animis: juvat uſque morari,

Et

Et conferre preces, & flendo abſtergere culpas.
Non agit in furias Bacchus; non improba ventris
Ingluvies; nullo miſcentur pectora motu:
Nec jam impune furor media graſſatur in urbe.
Una omnes pax, una tenet concordia, & unus
Cogit amor, poſito redeunt ad ſana furore
Conſilia, & junctis coeunt in fœdera dextris.
Omnibus una data eſt jucundæ teſſera pacis,
Pignus amicitiæ, quæ ſanguine firmet amorem.
Ergo Deus (quoniam torpent ad gaudia ſenſus
Humana, & noſtræ capiunt faſtidia menſæ)
Inſtituit celebrare palàm convivia: ponit
Fercula, Divinis condita ſaporibus, infert
Cæleſtes epulas, quas non manus ulla paravit,
Quæ non ante opibus, pretiòve, aut arte repertæ:
Ipſe ſui coquus, ac cibus; & quo vilior eſſet
Panis, in hanc ſpeciem Protheus ita factus amoris
Vertitur, & parvo contentus in orbe quieſcit.
Suaviùs ut raperet tactos dulcedine ſenſus,
Melle ſoporatam, & medicatis frugibus offam
Objicit; hanc medicans, Divina inſtituit arte
Ambroſiæ ſuccum, & ſupremi nectaris hauſtus.
Nec ſatis eſt; quoſcunque ſuo de corpore paſcit,
In vitam vocat æternam, morbóque, necíque
Eripit, & ſimiles adeo ſibi fingit, ut alter
Vertere in alterius formam ſe poſſit: imago eſt
Ipſe hominis Deus, ipſe Dei eſt homo factus imago:
Sic placitum, ut fuerat qui nunc homo, ſit Deus idem.
Errat amor, tamen ille Deo placet error amoris.
Nec ſe uni tantùm, nec paucis exhibet; omnes
Invitátque, rogátque; ultro ſe ſe inſerit ori,
Largus opum, largúſque ſui, vel prodigus; idem

Nunc

Nunc animos ſatiat: ſic afficit ardor amoris,
Sic agit, exercetque, rapit, verſátque Tonantem!
O menſa! O epulæ! offa ò ſuaviſſima! Cæli
Deliciæ, nectar ſuperum! O lac dulce papillæ
Divinæ! pleno quod fluxit ab ubere! quàm te
Eſurio! Quàm te ſitio! Quam pectore toto
In te inhio! Quam te his oculis, hoc ore laceſſo!
Heu me! delicijs nimiùm, illecebríſque malorum
Hactenus indulſiſſe pudet. Quis me furor egit
In ventos ire, & fallacia gaudia, & umbras
Quærere? Vana animum ſpecies deluſit, ubi omnis
Effuſus labor, atque omnis damnata voluptas.
Immemor heu! cæcúſque animi, qui fonte relicto
Sectabar turpes rivos, atque ora trahebam
Arida: torquebat miſeras ſitis improba venas.
Nunc haurire datum eſt pleno de fonte ſalutis,
Ardorémque ſitis reſtinguere. Currite vos,
Mortales, una ò mecum properate, venite
Ad potum, ad latices vitæ ſalientis in ævum.
Non opus eſt auro, non ære: ſine ære, ſine auro,
En gratis datur! hic commercia nulla, nec ullæ
Impenſæ. Ah pretium vile eſt! fac velle, tenebis.
Quantùm optes, tantùm dabitur: cupit ille ſitiri,
Optat amari; inopem ne te illi finge: voluntas,
Ut teneas, ut poſſideas, ſatis una ſupérque eſt.

TRO

TROPHÆVM EPICVM

Pro Victoria de Claſſe Turcica ad fauces Helleſponti parta

VENETIS ERECTUM.

HElleſpontiaci, Nymphæ, gens uda profundi,
Quæ Pelagi colitis fauces, quibus aurea Tethys
Accipit Ægæas, redditque Propontidis undas:
Dicite quæ vitreo ſpectacula mira Theatro
Edidit hinc Venetûm virtus, hinc Thracius ardor
Claſſibus oppoſitis: quali Leo nauticus ira
Intonuit Pelago contra fera cornua Lunæ
Biſtoniæ, quem Marcus agit, cui fulgurat unguis,
Igneſcuntque comæ, totidem cui fulmina dentes
Sufficiunt? quanto Byzantia ſigna furore
Fregerit, & quanto maculari ſanguine fluctus
Cæruleos? quali gelidas formidine naves

Diluvio infuſo flammarum incenderit? undis
Ambiguis, liquidos ne ignes, fluctus ne flagrantes
Protulerint? Vos quippe rates concurrere contrà
Vidiſtis ratibus, proriſque obuertere proras,
Et miſcere manus, & tela opponere telis,
Vulnera vulneribus cumulari, atque ictibus ictus.
Quinetiam exuvias, totoque natantia Ponto
Legiſtis ſpolia, & conſtructo hinc aggere dicunt,
Vos Marti Veneto partum virtute Trophæum
Coralijs ſummâ ſtatuiſſe rubentibus undâ,
Et Salaminiacæ renovaſſe inſignia palmæ.
Europamque, Aſiamque inter mare frangitur, arctis
Faucibus exceptum, collectâque æſtuat irâ,
Et gemit objectis hinc inde prementibus undas
Littoribus, formatque fretum, quod nomine dicunt
Dardanio, veteris vicino à limite Gentis
Dardaniæ, quo Troia fuit, nunc campus & horror
Stragis ineſt. Suprà infelix ſe tollit Abydos,
Littore ab adverſo Seſtos reſpondet, utramque
Dividit æstus aquis, ignis ſed jungit amoris,
Cujus adhuc gelido recalent veſtigia fundo.
Armatæ huc coëunt diverſo ex æquore Claſſes:
Boſphorus hanc Lunis rutilantem mittit, & illam
Adria purpurei referentem inſigne Leonis.
Hæc audax à fronte venit, curſuque citato
Provocat adverſam, ventoſque ad prælia poſci
Iure, armis, pietate potens: it tardius illa,
Quam gravat impietas. Turcarum Claſſis in altum
Provehitur, damnatque Notos, & reſpicit arces
Vicinas, & poſcit opem; præſaga futuræ
Cladis amat portus, & littora nota requirit:
Argumenta fugæ. Videas decreſcere fluctus

Paula-

Paulatim, & totum malis ſylveſcere pontum.
Navibus innumeris pelago fluitare revulſas
Cycladas, & lucis credas concurrere lucos.
Hîc digito monſtrat Venetum mihi proxima Claſſem
Cymodoce. Aſpicio vicenas findere naves,
Et ſuper octonas, ſpumantibus æquora roſtris,
Turribus aſſimiles ſeptem quas ardua velis
Navigia expanſis ſociant: cerno inde quaternas,
Bis denaſque citâ ſe volvere mole triremes
Verrentes pelagus, remiſque volatile lignum
Ultra Euros, Zephyroſque ſali per ſtagna ferentes.
Hanc Princeps Marcellus agit Laurentius; omen
Nominis ille refert, Heroem invictus utrumque
Aſſimilat: Marcellus erit, cùm fulminet hoſtes
Victor in adverſos, erit & Laurentius, ictu
Cùm volucris fervente globi diſcerptus in aſtra
Martyris inſtar eat, lauroſque importet Olympo.
Hunc vehit excelsâ Prætoria puppe triremis
Agmen agens, Venetæque ferens inſignia famæ.
Barbarus huic jungit Badoarius arma, ſecundis
Auſpiciis, ſolo qui nomine Barbarus, urbis
Et decus, & Claſſis vis provida. Ducit Ioſeph
Turritas celsâ Moreſinus mole carinas.
Barbarus alter agens Præfecti munus in altò
Eminet, & tumidis Antonius imperat undis.
Quinque adeò inſignes videas conſurgere celſis
Navibus: imperio quorum ſe credere Claſſis
Tota queat, certis quos legibus ire ſolutos
More Ducum aſpicias, ſortemque expoſcere pugnæ.
Foſcarus hic belli decus eſt Aloiſius. Illum
Munus & arma decent: Chlamys aurea, & aureus enſis,
Aureus & clypeus, pharetra aurea, & aurea caſſis,

 Aureu

Aureus extat apex, radiant in vertice criſtæ:
Pulcher in arma ruit, flagratque armatus amari.
Ille comes rigidis Priuli eſt Antonius armis,
Effera quem ſpecies Mavortis, & horrida belli
Signa juvant. Ferro obtectus, circumdatus ære
Ferrea vis, vivuſque chalybs, animatus & horror,
Bella gerens infert ſe formidabilis hoſti:
Quippe ardens odijs, & dedignatur amari.
Tertius it medius, qui fœdere temperet ambos,
Marcus Riva, ferox partim, partimque decorus,
Sic aurum ferro, ferrumque accommodat auro,
Et placet in ferro, rurſumque horreſcit in auro.
His duo ſe jungunt navalis fulmina belli,
Haud memores cultus, ſed quêis oblata probetur
Armorum ſpecies; animo & virtute feruntur
Confiſi. Vis tela movet, quæcunque prehendat,
Et telum ſæpe ira facit. Viden? ire per æquor
Conjunctos animis, junctiſque biremibus ambos
Battagiam, & Loredanum? Delphinas in undis
Dixeris armatos, rapido ſic marmora verrunt
Remigio, ſic in medios rapit impetus hoſtes.
Quis tamen ille locum ductoris, & arma ſecundus
Qui tenet, & partæ meditatur præmia palmæ
Occiſo ductore? virum Mavortis alumnum
Agnoſco. Marcellus hic eſt, poſt funera primi
Qui ſuperet, ſervetque decus memorabile pugnæ,
Nomen & extincti redivivo nomine ſervet.
Parte aliâ videas inter rutilare biremes
Fulguris in morem Petrum de ſtipite gentis
Contarinæ: illi ſocium ſe Antonius addit,
Prænomen cui Marcus ineſt Paſqualigus: ambo
Egregij civeſque togæ, bellique Magiſtri.

Succe-

Succedunt alij, quos facta ingentia prodent
Edita commiſſæ medio in certamine pugnæ.
Huc geminas, huc verte acies: ſeptemque videbis
Ire ſuper fluctus audaci mole biremes
Aſſuetas Pelago, roſtriſque tridentibus æſtus
Findere, & aerias remorum vincere pulſu
Ventorum, volucrumque vias. Crux candida ſignat
Carbaſa pugnantum. Crux candida pectora ſignat.
Has Melite in pugnam victrix agit Inſula, Thracum
Terror & exitium: totidem ſunt fulmina belli.
Stat gravidis mors fœta uteris, it plumbea cædes
Arcano ſecreta ſinu, parituraque flammis
Conceptis medio furioſa incendia Ponto.
Has regit imperio magnus Prior ille Caraffa
Parthenopes Civis, dignus cognomine, dignus
Stirpe Caraffarum, Martis quam gloria tollit
Ad ſuperos, tollit decus immortale Coronæ
Tergeminæ, tolletque recens victoria, cujus
Nempe Caraffa fuit pars haud temnenda: gubernat
Rupellam imperio, non quæ inter Lilia ſevit
Gallica ſæpe ferox moto certamine dumos:
Sed quæ Parthenopes Sirenem exaudit, & inter
Carmina tranquillæ reſidens agit otia pacis.
Aſpice roſtratas quanto ciet agmine Bembus
Voce vocans Zephyros inimica in littora puppes
Magnanimus ductor! cui proximus ille ſecundas
Contarinus habet Turcarum nobile nomen
Exitio. Mali pierus agit per ſtagna carinam
Lenta maris celerem· Cerne ut dominetur in undis
Præſidium latura ſuis, hoſtique ruinam!
Cerne pares animis, ſimiles cognomine, & armis
Æquales, Urbis duo ſidera Bragadinos,

 Genti-

Gentiles cingunt quibus ardua tempora palmæ.
Tergemini effulgent Marcellus, Dona, Quirinus,
Magnæ animæ, magnique Duces, hoſtique minantes
Funera; terrores hinc Loredanius addit,
Hinc & Barbarigus: duo nomina magna per undas
Didita, & antiquæ referentia ſtemmata gentis.
Nec vos tranſierim celebri par nobile pugna
Ioannes. Alter Venierus nomine, & alter
Cornarus. Nec vos Mezzi, quibus una cupido
Bellandi ſtimulos acri ſub pectore vertit.
Quis tacitum verſu te Foſcarine relinquat?
Aut nimis audentem quis te Semiticole bello
Sanguine Mavortis ſuſo documenta daturum?
Quo rapis attonitum me Vizzamane, decori
Quem movet ambitio contemnere bella pericli?
Hæc te Gritte vocat certa in diſcrimina: palmas
Appetis, & pulchræ traheris dulcedine lauri.
Quis tamen ò gemini fratres vos miſcuit armis
Ante diem, teneri flores, & bina, Muazzi,
Lilia, ſanguineo nondum matura Theatro,
At ſervanda domi, materno & amore fovenda?
Vix dum ter denos Antoni egreſſe Decembres,
Vix tu etiam Andrea duodeni lumina Solis
Vidiſti. Placeat pueriles fingere ludos:
Vos turbo, talique decent, non tela, nec enſes,
Detrectat quos parua manus. Vos tecta redite
In patria, & teneras in ludicra vertite vires.
Sed vis maior agit: pietas virtuſque parentum,
Sanguinis infuſi ſtimulus prævertere cogit
Annorum ſpatia, & bello poſtponere ludos.
Ite igitur, capite arma manu, Cæleſtis ab alto,
Vis aderit, venietque vigor Divinus in artus.

Nec

Nec vos aut acies, aut tela inimica timete,
Nam vos membra juvant, non ulli obnoxia ferro,
Quòd ſunt parva nimis; quis enim percellere poſſit
Quæ vix membra videt? Corpus patet ictibus; at vos
Nondum corpus habet: vos ſpiritus igneus afflat:
Et levit; Aligerum ſimiles eluditis arma.
Quos ego conſpicio navale errare per agmen
Quattuor inſtructos armis, & ſigna gerentes
Ductorum? expediunt acies, & bella gubernant,
Zancarolum, Rivamque, Baſadonamque, Piſanumque
Agnoſco, & titulos, & partæ nomina famæ.
Hæc inplere volunt navali in pulvere factis.
Quis procul ille autem celsâ qui puppe coruſcat
Aureis, arma tenens, & toto vertice turmas
Exuperat? criſtas movet aura, & ventilat ignes
Conceptos animo, tantus belli æſtuat ardor?
O quen te memorem! Parmenſis Horatius ille es,
Certun qui Venetis pugnantibus auxilium fers,
Egregius juvenis Maiorum ſanguinis hæres:
Digna Patris ſoboles, Proavi bellantis imago
Indiſcrta ſui. Viden? ut frons ignea flammas
Præferit, & Turcis ſtragemque, & fata minetur?
Hunc propè conſpicitur Coſmas Odoardus in armis
Egregius juvenis, Maculanæ ſtirpis: Avorum
Virtutis memor, & Patrui pietatis: in uno
Mavoris ſtudium, & Fidei conjungitur ardor.
Multus ineſt animo Patruus, multuſque recurſat
Purpureis, ſtimuliſque iras accendit honeſtis,
Quos Vtrus, quos Relligio, Pietaſque miniſtrant.
Hoc Veneæ Claſſis ſpecimen: quod Nympha canenti
Cymodoceæ refert. Non olim clarior undis
Incubuit Caſſis, ductore Themiſtocle, victrix

 Perſa-

Perſarum, Xerxiſque metus; Mardonius hoſtis
Quam timuit, ſtatuit quæ victo ex hoſte trophæum:
Faucibus his pelagi, & toto dominata profundo eſt.
At parte ex alia naves Galatea recenſet
Turcarum; nemus illa ingens medio æquore Claſſis
Erigitur. Videas viginti inſurgere puppes
Roſtratas, octoque ſuper; quæ mole ſuperbæ
Affligunt pelagus, patiens vix ponderis. Agmen
Innumerum circumvolitat, pontumque fatigat
Remigio, armantur tot in impia bella triremes,
Augenturque novem turritis navibus, extant
Puppibus, & roſtris findunt ſtridentibus æquor.
Baſſa regit Claſſem, qui maximus imperat oris
Dardanijs. Coeunt diverſæ ad prælia gentes
Tam variæ linguis, quàm moribus. Excitat omnes
Unus in arma furor: vox diſſona conſonat armis,
Vox odijs. Veniunt quot nunquam in bella tulerunt
Ex Oriente Duces; non tot collegit in unum
Ipſe olim Xerxes populos, cum germine campos
Quà ruit, & totis viduavit flumina lymphis.
Quin fuit illa minor, quæ perculit æquora claſſis
Pontica, tentavit cum fluctibus addere vincla,
Et perfodit Athon. Timuit Lyrneſſidos unda
Ilion aſpiciens, revocans incendia Troiæ,
Viſà claße pari; ſed enim ſolatia cepit
Urbis ab excidio, quod nil ſupereſſe ruentis
Senſerat. Heu! miſeris cauſa eſt, cecidiße, ſalutis.
Nunc age Cymodoce, tuque ò Galatea cruentæ
Principium pugnæ, ſortemque, & facta recenſe.
Iam claſſis Venetûm penetrauerat incita fauces
Anguſtas pelagi, Turcamque in bella vocarat,
Cum ſubito horribiles utroque à littore bombi

Emiſ-

Emiſſis ſonuère globis, claſſemque fatigant
Audacem Venetum, prohibetque incedere contrà,
Atque inferre gradus. Hòc fortiùs illa reſiſtit,
Invaditque fretum; quamquam hinc atque inde petatur
Tormentis, doleatque latus. Prætoria ſigno
Eminet elato, certoſque pateſcit ad ictus.
Non tamen abſiſtit, quamquam lacerata, tenere
Inceptam per ſtagna viam, claſſemque ciêre,
Atque hoſtem in pugnam metuentem, & multa morantem
Elicere; hic arces & littora nota petebat,
Unde ſibi ſperabat opem, certumque futurum
Præſidium; pelago nec ſe committere aperto
Audebat, ventique aderant, fluctuſque ſecundi,
Adverſi Venetis; ſpatio quos angit iniquo
Flatus, flamma, fretum. Pugnare elementa videres
Pro Turcis; Venetûm tamen hæc conſtantia vicit,
Mox victura hoſtes. Poſt longam in marmore luctam
Nacta Notos, fluctuſque pios procedere claſſis
Incipit Adriaca, & facto ruit agmine, Turcas
Aggrediens; ſonuere tubæ, ferit æthera clamor
Nauticus, horribiles edunt tormenta boatus,
Diſſultantque globi, fluctus quatit igneus imber;
Frigidus in Turcas cecidit timor. Ocyùs omnes
Ire retro properant, Venetaſque evadere vires:
Vela movent, & terga ſimul, remiſque morantes
Roſtratas, vinclíſque trahunt, pelagoque recedunt.
Acriûs hòc inſtant Veneti, & præcludere tentant
Effugia. Objiciunt ſeſe, objectuque morantur,
Eripiuntque vias. Celeres Prætoria remos
Commovet, & madidis fugientes prævenit alis.
Hoc reliquæ efficiunt belliqne, artiſque peritæ.
Turritam jam Bembus agit per libera puppim

Æquora,

Æquora, & in littus redeuntes præcipit hoſtes.
Iamque audax celerem Mocenicus ire biremem
Compulit in Turcas, mixtuſque triremibus hæret
Adverſis, nectitque moras, nec tendere contrà
Prorâ obſtante ſinit: movet hinc, movet inde carinam,
Opponitque fugæ, petiturque, petitque viciſſim
Tormentis; quamquam pugnâ luctatus iniquâ
Perſtat adhuc, clauditque viam. Prætoria magno
Se Melitenſis agit confuſa per agmina motu,
Diſpellitque rates. Iam cornua cornibus inſtant:
Barbarus à dextro ſe circumflectit, & agmen
Detinet, à lævo ſe Contarinus in undas
Ejicit, à medio Marcellus, & impiger obſtat
Barbarus. Huc vergit claſſis Melitenſis, Ioſeph
Huc Moreſinus: aguntque graves ad vincula puppes:
Sic ratibus Venetis Turcarum clauditur agmen.
Iamque adeo ſpes nulla fugæ. Redit ira, furorque
Hoſtibus: arma fremunt: injuria provocat auſus:
Hinc pudor, inde dolor præcordia concitat, auget
Deſperata ſalus animos. Decernere ferro
Fit virtutis opus, quoniam pugnare neceſſe eſt.
Ac veluti Leo Maſſylis qui liber in arvis
Degit, & incultos montes, ſaltuſque pererrat,
Cum ſubitò cernit venantûm ſe agmine cingi,
Atque premi telis, primùm miratur, & horret
Inſolitam ſpeciem, & ſenſim veſtigia retro
Corripit, & greſſus ad nota cubilia tendit,
Mox circumfuſo cùm ſe videt hoſte teneri
Undique, & intentis urgeri comminus haſtis,
Nec ſupereſſe viam, qua tutò evadere poſſit,
Ardeſcit, tollitque jubas, rictuque minatur
Fulmineo, ſtringitque ungues, & prælia tentat

Impavidus, quæritque viam per tela, per enſes.
Haud aliter Veneto circumdatus agmine Turca,
Quod numero tamen exſuperat, converſus in arma
Pugnat atrox animi, claſſemque accenſus in undas
Explicat, & naves impingit navibus, ignes
Ignibus opponens, telis tela, enſibus enſes.
Iam Mars cæruleo ferveſcit in æquore, naves
Undique concurrunt, miſcentque in prælia vires.
Ignea tempeſtas pluvijs ruit ignibus, atræ
Denſantur pelago nubes, tonitruſque remittunt
Horrendos, jaciuntque globos, vis flammea ſerpit
Per navale nemus, vivunt incendia ponto,
Inflammantur aquæ: fumoſa volumina Cœlum
Eripiunt, claſſemque tegunt: nox incubat undis
Ferrea; tormentis pars eminus intonat, ictus
Accipiens, reddenſque procul; pars comminus inſtat,
Ærataſque manus ratibus ſuper injicit; æquo
Has velut in campo videas conſiſtere, pugnam
Et ſtabili conferre gradu; gladioſque micare
Oppoſitos gladijs, collidi ſcuta, repelli
Armis arma: hæret pede pes, & caſſide caſſis.
Mox variæ ſubeunt mortes. Huic bella paranti
Ferrea glans pectus ſubito tranſuérberat ictu,
Atque aufert animam. Stantem globus igneus illum
Percutit, avulſumque caput jaculatur in auras
Immoto paulùm, nondumque cadavere, trunco.
Exclamanti alij, & certamina voce cienti
Os pila jacta ferit, medioque in gutture vocem
Præcidit, vitamque adimit. Levat alter ad ictus
Brachia, tranſverſo cùm vis intervenit ictu
Flammea, tela, manus, & brachia corripit, unà
Arma, animumque ferens. Alium tormenta per auras

Diſcerp-

Diſcerptum ejiciunt, illiſu corporis alter
Percutitur, præcepſque cadit. Signatur ab hoſte
Unus ad interitum; ſed dum collineat, alter
Præterit, & veniens alieno intercidit ictu.
Sæpe aliquem variæ conſumunt vulnere mortes
Multiplici: gladio cæſus, teloque petitus,
Igne incenſus obit. Plures mors abſtulit una:
Sæpius exploſi nam fulminis ictus ab uno
Tormento lacerat quæcunque in corpora rectus
Incidit, atque alios latere ex utroque reciſis,
Diffractiſque urget tabulis; vis ignea miſcet,
Confunditque animas. Saltu tranſire parantem
Hunc ſuper hoſtilem librato corpore navem
Deſtituere pedes, pelagique abſorbuit unda.
Hunc quoque vicinæ prenſantem tranſtra biremis
Deſervit projecta manus, quam fervidus enſe
Amputat hoſtis, adhuc lævam exſertare parantem
Præſcindit gladio, & conantem corpore toto
Ire ſuper, jugulat, truncumque in gurgite mergit.
Hic igni ambuſtus gelidas procurrit ad undas.
Hic oppreſſus aquis ardentes currit ad ignes:
Cæcus uterque ruit, vitat non funera, mutat;
Et quæſita ſalus certæ via mortis utrique eſt.
Hunc videas mediis ardentem fluctibus ire,
Ambiguæque necis contraria fata ferentem.
Heu! miſer ardentes inter perit humidus ignes,
Inter & humentes rurſum perit igneus undas.
Proh dolor! in noſtram jurant elementa ruinam,
Conſpirantque necem, ſervant contraria fœdus,
Et diverſa ſibi certo diſcrimine vivunt:
Sed cum pernicies homini, exitiumque paratur
Conveniunt, junguntque manus, & fœdera poſcunt.

Quippe

Quippe ſciunt quàm ſit natura obnoxia morti
Humana, & quantas ſcelerata expendere pœnas
Debeat; exercent juſtas ſic Numinis iras.
Quæ fortuna tamen fuerit bellantibus alto
Claſſibus? ò Nymphæ, commiſſo Marte, docete.
Intulit in Turcam Venetus ſe fortiùs, agmen
Innumerum virtute premens, denſaſque triremes
Diſijciens, geminans incendia, fulmina, tela
Undique: nec Turcis eſt reſpirare poteſtas.
Hinc ratis incumbit Venetûm Prætoria, ductor
Quam Marcellus agit, fœta igni, & mittit in orbem
Sulphureos imbres. Hinc fervidus obruit armis
Barbarus. Hinc Priulus, Semiticolus inde laceſſit,
Foſcarus hinc urget. Roſtrata Bembus ab alta
Fulgurat in medias, quà maxima turba, triremes
Et ſuper incumbens telo, face, & enſe fatigat
Et procul, & propè. Turcarum quà denſior ordo,
Spiſſius itque nemus malorum, irrumpere cernes
Invictum cuneum Melitenſem, & fulmina circum
Fundere. Conſpicuus micat alta ex puppe Caraffa,
Accenditque ſuos. Viden? ut Prætoria Thracum
Ardua, quam petijt denſata per agmina, pugnam
Detrectat, turpemque fugam per tuta capeſſit
Æquora, nec vires audet tentare Caraffæ,
Qui ſequitur, damnatque fugam, probriſque laceſſit.
Irruit in reliquas Claſſis Melitenſis, & armis
Fulminat. Aſpicias Mezzos, Rivaſque, Muazzoſque
Ardentes volitare, faces, & tela ferentes.
Aſpice ducentem Moreſinum in prælia celſas,
Et Contarinum diverſo ex agmine naves,
Et tempeſtates flammarum ardere per undas
Attonitas, totoque incéndia ſerpere ponto.

Ire vides pelagi duo fulmina Bragadinos,
Et fervere undis: geminis ſe Dandalus addit
Fulmineum ſocium. Parmenſis Horatius ignes
Inter & arma micat Mars igneus, agmina Thracum
Qua conferta videt petit, & metit enſe, recidit
Et capita, & galeas, transfigit pectora, truncat
Brachia, tot mortes, quot vulnera dividit, inſtar
Centimani Briarei, centum cui brachia, centum
Cui licuit verſare manus, & funera centum
Uno inferre ictu! Comes it Maculanus, & ardet
Ignibus immixtus Mavortius ignis, & hoſtem
Incendit flammis. Stat Borrius inclytus armis,
Et natus virtute pari, natuſque Parentis,
Atque Parens nati miratur facta, perîcli
Immemores; decoríſque avidi. Malipierus in hoſtem
Irruit impavidus, Gritti quà ſe impetus egit,
Mors dedit atra viam, quà Loredanius inſtat,
Mars furit. Inſequitur victrix Bellona Quirinos,
Sanguineoque ferit fugientum terga flagello.
Mira fides! ſtabilis pelago fit pugna, triremes
Pugnantes hæſere vadis. Stupuiſſe putares
Attonitos fluctus, nec ſe agnoviſſe cruentos.
Otia ventus agit, ſtupefactus turbinis ira
Sulphurei, impediunt fumoſa volumina flatus,
Nec ſpirare valent. Riſerunt fulmina nubes
Hîc ſua, ſenſerunt latè cùm vaſta tonare
Æquora, & ignitas volitare per aera glandes,
Culparuntque Iovem, quòd fulmina mollia Cœlo
Mitteret, atque minus quæ fortia glandibus irent;
Excuſantque graves dantem Salmonea pœnas
Protonitru, vanoque metu. Sunt iſta luenda
Supplicia, exclamant, olli, qui pulveris uſum

Ignivo-

Ignivomi invenit, tormentaque dira retexit,
Fulmineoſque globos humana in pectora miſit.
Hic mihi Cymodoce ingentem, ceu cætera nuſquam
Bella forent, pugnam commonſtrat, & aſpice, clamat,
Quà Sultana gravi Turcarum mole triremis
Se movet, & denſo ſtipatur ab agmine, ductor
Remigio valido ſubit ut Marcellus? & igni,
Et ferro premit, & ferrato dente prehendit,
Atque intus celeri ſaltu ſe ſe injicit, hoſtes
Attonitoſque metit gladio, teliſque fatigat,
Et fugat, & denſo vacuatam milite reddit,
In prædamque trahit, magno clamore ſuorum,
Turcarum gemitu! Satis eſt Marcelle; ſequentem
Ne tu invade ratem. Patriæ invigilare ſaluti,
Et claſſem ſervare tuum eſt. Diſcrimina belli
Quærere miles amet. Nimiùm ſed gloria in armis,
Et prædulce decus primæ poſt præmia lauri
Corda movet. Cupit ergo aliam ſuperare biremem,
Proxima quæ ſtabat, palmamque adjungere palmæ,
Iamque minax aderat, puppique inſtare timenti
Cœperat, adverſo cùm ſe globus invehit ictu
Ferreus, ingenti tormento excuſſus, & alis
Sulphureis volitans venientem prævenit, ignem,
Exitiumque ferens, femorique impactus ademit
Et paſſum, vitamque ſimul. Satis una fuiſſet
Mors Ducis, aſt alios furiali percitus ira
Quattuor occidit, comiteſque adjunxit eunti
In Superos animæ; quo Ductor honeſtius iret:
Noluit, ut ſolus contenderet Aſtra, remiſit
...ios ſocios. Felix ito Marcelle, ſolutus
Corporeis vinclis, pete Sydera ſumma volatu
Liber, & æthereæ cape munera digna coronæ.

Æter-

Æternum ſtatues ſuperato ex hoſte trophæum.
Eſt anguſta tuo Venetûm fortuna triumpho,
Occidis; at virtus comitum manet aucta tuorum.
Alter enim alterius Marcelli munus obivit
Marcellus. Primo erepto non deficit alter
Martius, & ſimili gaudet Ductore triremis.
Mox Claſſis Præfectus adeſt Badoarius, olli
Defuncti ſervare vices, ſuccedere claſſis
Imperio fas eſt. Cædes renovantur, & hoſtis
Obruitur telis, inſtat Battagia, ſævit
Cornarus, Baſſus ruit hinc, ruit inde Quirinus,
Vulneraque ingeminant. Avogardus fervidus urget.
Nec mora, nec requies. Paſqualigus injicit ignes,
Barbaricuſque faces. Cumulant tela horrida Longus,
Zancaroluſque ferox. Crebreſcunt vulnera, mortes
Mortibus accedunt. Nulla eſt exire poteſtas,
Franguntur remi, lacerantur vela, tumultu
Omnia miſcentur, tempeſtas ignea puppes
Diſſipat. Hinc Peſarus violentus fulminat, inde
Mengamus: metit enſe viros Fradellus acuto,
Ingeminatque ictus Barozus acinace, Donam
Ardentem in medijs videas igneſcere turmis.
Quà Baſadona ruit, quà Vizzamanus, utrumque
Sanguine fumat iter. Venier, Calergius horror,
Exitiumque hoſti repetita cæde feruntur.
Piſanique Duces alieno tincta cruore
Arma gerunt, totidem Veneti misêre Leones
Quot misêre viros. Lugent ſua funera Thraces,
Nec numerare queunt; amiſſo milite naves
In pelago fluitant, truncorumque inſtar in undis,
Exſpirant, ipſæ ſunt facta cadavera puppes.
Accumulatque phalanx cladem Melitenſis, ab una

Sæpe

Sæpe duæ Thracûm depreſſæ in gurgite naves,
Incenſæve igni. Prætoria ſola biremis
Quattuor evertit. Quà ſe movet illa, fatiſcunt
Merguntùrque rates, fit ſemita mortis in undis.
Ecquis at ille prior, medios qui invectus in hoſtes
Longius ex oculis, & amica ex claſſe recedit,
Præcluditque viam Turcis fugientibus unus?
Ille viam cunctis adimit, ſeque omnibus unus
Objicit, unum omnes ferroque, ignique ſequuntur.
Nec cedit; quamquam tormentis pulſa triremis
Obruitur, rimiſque diu quaſſata fatiſcit,
Nodus obexque hoſtis, mox funus, & ultima Turcis
Pernicies? noſco galeam, criſtaſque comantes,
Nam faciem ſudor, ſanguiſque, & fumus honeſtis
Sordibus abſcondunt. Hic Lazarus ille vocatus
Nomine gentili Mocenicus, ille ſalutem
Devovit Patriæ, certæque pericula mortis
Ambijt intrepidus, Thracemque exire parantem
Se medium injiciens objecta compede navis
Detinuit, lethoque dedit, partique triumphi
Et decoris pars magna fuit; nec vulneris expers.
Illi etenim ardenti, cædes, igneſque ferenti
Excuſſus tormento oculus; ſed lumen ademptum,
Non detractus honos: illa in caligine fulſit
Gloria magnanimi, nullæ ſunt vulnera ſordes,
Sunt radij: fulsêre Duces, quibus obtigit illa
Excuſſi fortuna oculi, ſic lumine capti
Annibal, Antigonus, Sertorius, atque Philippus
Incendêre ſuæ famæ ſplendoribus orbem,
Lázarus hæc inter fulgebit lumina, Solis
Æmulus, & Veneta ſemper radiabit in Urbe.
Ductorem ſimili comites virtute ſecuti

R Ter

Ter gemini ante alios, ſævi tria fulmina Martis
Dadichus, Ebertus, Canalius. Integer ille
Evaſit (mirùm) pugna, duo vulnere læſi
Exceſſêre alij. Ratis ipſa ambuſta reluxit
Clariùs; aſpiceres tabulata errare per undas
Ignea, cærulei clariſſima ſidera ponti.
It Sultana vado, Turciſque inſultat, anhelat
Cædem, & fulmen adhuc, viduataque milite pugnat
Terribili ſpecie: venientem hoſtile tremiſcit
Agmen, abit tuta, & tandem reſoluta fatiſcit
Victa ſimul, victrixque ſui. Periêre carinæ
Hanc præter Venetûm geminæ; Vincentius illam,
Hanc Fauſtinus agit; non ferro, aut viribus hoſtis,
Sed fortuna fuit. Nam dum expugnare triremes
Contendunt Turcarum alacres, victaſque fatigant,
Et ſuper incumbunt roſtris victricibus, illæ
Concepêre ignes, & corripuêre prementes.
Nec potis inde fuit nexas avertere puppes.
Uno eodemque igni duplex abſumpta carina eſt.
Officit interdum nimius pugnantibus ardor.
Eſt etiam modus in bellis, prudentia ubique
Regnat, ubique ſuo contenta eſt limite virtus.
Sed fuit Euganeis tantæ pro munere palmæ
Iactura exigua, & triſtis ſolatia caſus,
Non niſi vincendo potuiſſe ardere carinas.
Cætera claſſis agit Turcâ cedente Triumphum
Integra. Conſpicies agmen miſerabile, partim
Incenſum, partim depreſſum fluctibus, ire
Funeribus plenum, deſertas milite naves
Vincirique, trahique: alias fluitare per æquor
Dimidias, donec medijs ſolvantur in undis.
Quattuor ex tanta, deniſque evadere clade

Poſſe

Poſſe datum, quas ante aciem ſubducere pugnæ,
Atque redire retro Baſſa impulit. Ille ſalutis
Non decoris memor, elapſus, diſcrimina belli
Effugit; munuſque datum, ſocioſque, rateſque
Deſtituit, ventoſque vocans in tuta receſſit.
Diluvio ex illo Prætoria fortè triremis
Turcarum evaſit, diſcerpta, & inutilis armis
Littus in adverſum, terræque advertere proram
Cœperat, incenſis Bembus cùm glandibus illam
Eminus impetijt, pulſans latera ardua, donec
Deſſolvit penitus compagem, atque obruit undis.
Maxima pars fluitans flammiſque incenſa vagatur
Sigæi per ſtagna freti, Tenedoque propinquat,
Antiquæ pelago renovans incendia Troiæ.
Vidêre ardentes Xanthus, Simoiſque biremes,
Et ripis timuêre ſuis, exæſtuat ingens
Fervor aquis; nemus accenſum, ſed mobile fertur
Per maria, atque aliam circumfert agmine Troiam
Ardenti. Subit illa Urbis flagrantis imago;
Et quæ Troia ſolo paſſa eſt incendia, claſſis
Exprimit illa mari, per iniqua ſilentia Lunis
Turcarum; Veneti, gens Troia oriunda pararunt
Excidio claſsis ſolatia grata Parenti.
Quis cladem, cædemque virûm, quis funera verſu
Explicet? Innumeræ coïere in prælia, paucæ
Evasêre animæ. Ferri quibus ira pepercit,
Conſumpſere ignes; quos non furor abſtulit ignis,
Oppreſſêre undæ: ferrum ſæpe, ignis, & undæ
Occîdere ſimul: multas vita unica mortes
Pertulit. Una ſalus homini, via plurima lethi eſt.
Exigui numero ſubierunt vincula; mortis
Tantus amor Turcis, pugnandi tanta cupido.

Devotas fudere animas, & tradita ferro
Pectora: tanta fuit rabies pugnantibus. Hoſtes
Aut ſuperare volunt, aut certæ occumbere morti.
Hoc eſt Adriacis Victoria clarior; ollis
Quòd numero ex omni tantùm periiſſe trecentos
Vidimus. Aligeris mandata eſt cura ſalutis
Pugnantûm Venetûm; niveis texêre ſub alis,
Avertêre ictus, animaſque in Marte cadentûm
Elatas humeris ſublimia in Aſtra tulerunt.
Millia quinque adeò duris detenta catenis
Corpora Chriſtiadum ad Venetos rediére, jugumque
Excuſſêre vetus: quiſque in ſua tecta remiſſus
Victorum imperio, quorum felicibus armis
Exuti vinclis, fuſoque cruore redempti.
Hic finis pugnæ. Victrix poſt prælia claſsis
Conſtitit, & partis redimivit carbaſa lauris
Vota Deo reddens, cui gloria tota triumphi
Debita. Mox cogit mentis Dux providus altæ
Concilium, expendens caſuſque, eventaque pugnæ
Felicis: quantum pondus victoria partem
Secum in utramque ferat. Multos cui vincere bello
Scire datum, voluiſſe frui, atque erraſſe fruendo.
Utendum palmâ, fructuſque ex Marte legendos.
Ni faciant: meritas vincendi amittere laudes,
Munera fortunæ, feliciaque omina poſſe.
Hoc errore Ducem Cannenſi in pulvere Pœnum
Victorem, Romæ imperio caruiſſe, ſibique
Et patriæ demum certam peperiſſe ruinam.
Hoc ſibi propoſitum: victricem ducere claſſem
Ad Tenedon (celebris quæ nominis Inſula, Troiæ
Urbi olim, campis nunc proxima viſitur, arcem
Thrax ubi fortis habet, tutumque in littore monſtrat

Perſu-

Perſugium ratibus) portuſque invadere, proris
Cingere, ne victis fieret tutela carinis,
Collectaſque alias gremio atque exire parantes,
Atque alias pelago Byzantia tecta petentes
Prendere, & à recto poſſet deducere curſu.
Sic placitum Euganeis. Sed pars Melitenſis in altum
Maluit avulſa à reliqua contendere claſſe,
Et patriæ portus confecto Marte redire
Inſignis ſpolijs, captiſque triremibus aucta;
Quas trahit à tergo, longoque ex ordine cogit
Ire triumphatas ſignis verrentibus undas.
Aſt Antenoreæ felici ſorte biremes
Appellunt Tenedum, portuſque, & littora cingunt,
Atque ibi collectas capiunt ſine vulnere naves,
Adjiciunt alias venientes. Præda paratur,
Creſcunt exuviæ, cumulatur adorea; fructus
At non ille ſatis. Tanti compendia belli
Parva putant, maiora movent. Invadere muros,
Expugnare Arcem properant, & pellere Thracûm
Præſidium. Cingunt arctâ obſidione morantes,
Intentantque minas, ferroque, ignique laceſſunt.
Annuit optatis fortuna, & pauca dierum
Poſt ſpatia excedunt hoſtes, Arcemque relinquunt.
Succedunt alacres Veneti, muroſque coronant
Euganeis ſignis; portus, Arcemque tueri
Conſtituunt. Pelagi Tenedos nempe Inſula clavis,
Quæ reſerat, clauditque vias. Ex omnibus ergo
Puppibus apta legunt bellantûm corpora, & Arci
Præſidia imponunt; dant arma, cibaria, veſtes,
Et quæcunque valent longæ obſidionis in uſus.
Inde alia eſt Thracen quæ proſpicit Inſula, ponti
Celſus apex, ſtatio ratibus fidiſſima, quondam

Mercurio ſacra, & tendentibus obvia proris
Helleſpontiaci per ſtagna anguſta profundi,
Vulgò Imbrus. Petit hanc etiam pro munere belli
Adriacus Victor, claſſemque appellit, & oram
Occupat, atque armis victricibus occupat Arcem,
Deſpectatque fretum, claudit mare, comprimit undas,
Vincla jacit; quodque haud potuit Rex maximus olim
Perſarum, valet Euganeus præſtare, catenas
Fluctibus injicere, & violentum compede pontum
Stringere, & undoſos pelagi frenare furores.
Poſt hos inſignes terrâque marique triumphos,
Europæ atque Aſiæ ſpolijs onerata revertit
Helleſpontiacis Venetorum claſſis ab oris.
Applaudunt Nymphæ victrici, aſpirat eunti
Æolus; illa tumens dat vela, & littora tendit
In patria, & timidum ſecat imperioſa profundum.
At Michael Princeps ſtellantis Maximus Aulæ,
Militiæ Ductor Pennatæ, & Signifer Ales
Numinis, è celſo qui viderat Æthere pugnam,
Tendentemque videt ſuperata per æquora claſſem
His ſequitur dictis, venturaque fata reſolvit.
O decus Europæ, ò Superis dilecta propago
Gens Venetûm, Fidei clypeus, ſpes certa ſalutis
Chriſtiadum, perge auſpicijs felicibus, arma
Relligioſa move, ſummoque accepta Tonanti.
Tu pietatis honos, tu gloria Numinis, horror
Ditis, & Odryſiûm terror, tu nodus, obexque
Viribus oppoſita, & frenum conatibus, armis
Murus, & imperio limes, tu barbara frangis
Agmina, compeſcis rabiem, reprimiſque furorem,
Avertiſque minas. Debet tibi grata ſalutem
Italiæ tellus. Nam ſi impia bella ferocis

Ingru-

Ingruerent Aſiæ, nec tu arma infanda teneres,
Comprimereſque iras, vaſta ſe mole moverent,
Inferrentque acies, armato & milite campos
Complerent, ruerentque domos, Urbeſque cremarent
Ignibus, & ſacro ſpoliarent templa decore,
Inque jugum victos traherent, palmaſque ligarent
Nexibus, & rigidis onerarent colla catenis.
Libertaſque, Fideſque tuis defenſa ſub armis
Reſpirat. Salve Adriaci Regina profundi
Salve iterum, Mundo qua nulla potentior, Aſtris
Qua non ulla magis vel grata, vel agnita; felix
Perge viam: pia bella nova: tibi ſpondet Olympus
Perpetuas lauros, tibi mille ex hoſte trophæa.
Utere ſorte tuâ, felicibus utere fatis;
Sidera dant animos. Vos hîc ego ſceptra tenetis
Qui pia Chriſtiadum, & Romanas noſcitis Aras,
Magnanimi Reges, ſtudijs ingentibus hortor,
Huc veſtras conferre acies, huc cogere vires,
Arma, & opes; communem hoſtem . ſævumque Tyrannum
Marte ſequi, & junctis contundere viribus, illum
Nunc fractum à Venetis, extremaque fata timentem
Appetite, & vario diviſum abſumite bello.
Sunt animi vobis, validæ ſunt robora pubis,
Sunt & opes, claſſes, equites, ſunt arma: potentes
Vos pelago, terraque hoſtis Thrax novit; amicas
Iungite cum Venetis dextras, & rumpite ferro
Boſphoron, ac longâ Cretam obſidione gementem,
Atque laborantem injuſto ſub pondere belli
Erigite, inque Aſiam victricia ducite ſigna;
Et veterum Regnum veſtigia digna ſecuti
Ite per Auroræ populos, Nabathæaque regna,
Quæque triumphales palmas oſtendit, Idumen,

Et Solymæ celſis Crucis edita ſigna locate
Montibus, & Thracûm gentem exturbate profanam
Sedibus è ſacris, Urbemque exolvite vinclis
Biſtonijs: ſanctique decus venerabile Buſti,
Quo jacuit pignus Divini Corporis, Aris
Reddite Romanis. Temploque inſigne trophæum
Ponite: tecta Deo ſua reddite, ſolvite vota.
Tuque adeò tu Sancte Pater, qui nomine Magnum
Reddis Alexandrum, Romanam Septimus Urbem
Qui regis imperio: cujus Victoria parta eſt
Auſpicijs, precibuſque, ſacri Tu fœderis Author
Tu pietatis eris, Fidei qui accenſus amore
Munera Pacis amas, ſtudijſque ardentibus optas
Iungere Regum animos, atque arma, & vertere in hoſtem
Odryſiûm, Venetûmque acies, & ſancta juvare
Arma jubes opibus communibus, effice dignum
Te facinus, Regeſque tuis hortatibus imple,
Imple animis. Nunc tempus adeſt, nunc fracta Tyranni
Robora, nunc vires attritæ, & corda pavore
Attonita. Exitio ſtat proximus. Una ferocem
Si potuit Venetûm gens frangere, totus in arma
Si coëat Chriſti populus, ſuperabit, agetque
Præcipitem, & ſolio, & ſceptro ſpoliabit iniquo.
Nunc etiam hoc meruit feritate, & turpibus auſis
Barbarus, inſontes animas, quas jura tuentur
Naturæ, legeſque hominum, vitâque, boniſque
Expolians, immane nefas, vel triſtibus Orci
Inviſum Furijs. Cruor hic pius incitat arma,
Ultoremque petit. Sed prima eſt cauſa ſalutis
Communis, cultuſque Dei, exitiumque nefandi
Dogmatis. Hoc Cœlum jubet. Hoc tibi mandat Olympus
Munus ALEXANDER. *Duce Te, pia bella gerentur,*

Thrax

Thrax cadet, imperio pariter ſpoliatus, & armis.
Agnoſcent Dominam Byzantia mœnia Romam,
Sacra triumphabit Solymiſque, Ariſque receptis
Relligio: una Fides populos, lex una tenebit,
Collectiſque unum gregibus conſtabit Ovile,
Aureaque Auſoniis, Te Principe, ſecla redibunt.



IN SERENISSIMAM VENETORVM REMPVBLICAM ELOGIVM

SALVE ò Sereniſſima Reſpublica:
Publica ſalus
Ex communi Europæ, Aſiæque incendio
orta Digna
Quæ è tot, tantiſque cineribus Politica
Phœnix exiſteres.
Sed ablutis jam ſanguine vitiorum, quibus
cinis adhuc ille fumabat,
ſordibus:
Et deterſâ, quæ inerat infœlicitatis, caligine:
Helena Pudica:
Polixena Fortunata:
Phœnix Pura.
Ab Antenore citra errores vago, ut certior origo:
Extra bella Pacifico, ut Innocentior
eßet,

Ad

Ad Timavi Fontem auſpicatò fundata
Per ora novem in Famam
erumpens
Incrementa curſu ad mare, inſtar fluminis
habitura
Septem Maria
totidem Oſtijs evomentis.
In Continenti primum jaci fundamenta oportuit
ejus, quæ Imperio Continentem
cum Mari jungeret.
Sponſa Maris futura
Principatum
In terris habere debuit.
Par Romæ Urbs Authore? An Superior?
Roma
Æneam: procum Laviniæ: Paridi & Faci jugali
ſimilem,
Præmiſſo externo bello, domeſtico Diſcordiæ omine;
Lavini
Authorem habuit.
Venetiæ
Antenorem: hortatorem Pacis, Concordiæ vindicem,
Aſſertorem Hoſpitalis juris,
Uti antea Troiæ fuerat,
Patavi
Fundatorem habuerunt.
Si antiquitatem reſpicias: multò Româ Urbe
Venetiarum Urbs recentior.
Si originem: longè melior. Profani Romæ
Natales, Remi ſanguine
infecti:
Obſtetrice Diſcordiâ infauſti:

Vultu-

Vulturibus cruentis ferales:
Venetiarum Sacra Cunabula poſt Chriſti Cunas.
Vitatâ Hæreſi Arianâ
Catholica:
Remotâ Barbarie, ac immanitate
Comis, Mitis:
Columbæ auſpicijs in Mari orta,
Ne terrarum ſordes contraheret.
Romæ Soror minor.
At non diſcordijs inteſtinis ſciſſa. Nec Legibus
Agrarijs Ægra.
Nec Tribunitijs ſeditionibus agitata.
Nec Civilibus bellis diſcerpta.
In ſalo ſolida: in fluido conſtans: in paluſtri
illuſtris.
Inter Pelagi fluctus ſerena: futura
SERENISSIMA.
Poſt Aquileiam ab Attila everſam aptè in Aquis
nata,
Spiritu illo incubante,
Qui Aquas in principio mundi animavit,
Iam tum præludens
adfovendam hanc Urbem Orbis
Imaginem:
Optimus Aquilex,
Qui in juncetis paluſtribus
Victrices fore de Turcis
Aquas vidit.
Mirum! Aquis ubique Luna imperat: Hæc maris
æſtus reciprocantis alterno acceſſu
receſſuque excitat:
Venetijs Aquæ Lunæ dominantur: Creſcunt

illi

illâ decreſcente:
Per Aquas Venetas ſtat
quominus Luna Turcica
totùm impleat
Orbem.
Adriacum mare à turbine ac tempeſtate tam abhorret,
Ut exurgentes alibi tempeſtates
Serenet. Urbs Placida
Veneta.
Niſi cùm exiſtunt qui Pacem Publicam turbent;
Tunc nempe Sereniſſima
in eos
Fulgurat, Tonat, Fulminat.
Alij Bella ex Bellis ſerunt. Veneti ex Bellis
Pacem metunt.
Urbs Neptuni ſoboles, non Equum edit
Bellatorem:
Sed Olivam Paciferam à Minerva acceptam profert.
Verè Marci Filia,
Evangelicæ Pacis ſocia. Reliquijs Marci
Deſtinata Requies,
Quietem Orbi Catholico paritura.
Hinc ille Marci Leo, Cuſtos Eccleſiæ Romanæ,
Pro illa Vigil excubat,
Vindex pugnat.
Lacus quilibet Venetus, lacus Leonum eſt
Danielis Fidem defenſurus.
Quin Leones hìc feritatem deponunt: mutant naturam.
Pæni cùm ſint,
Venetijs
In Pænos armantur.
Leonem alibi ex ungue rapaci agnoſcas: hic unguem

Ex

Ex Leone, non rapaci, innoxium:
Et alienam rapacitatem
Ungui Vindice
inhibente.
Quo fermè tempore occupatâ à Mauris Hiſpaniâ,
Domitique Hiſpani Leones,
Inſtituti Venetijs Duces.
Et Leo Venetus
Ultor Hiſpani
In Punicos Leones ſtrinxit ungues.
Leo: Veneti quidem ſanguinis, nec Veneti tar...
Coloris, ſed Purpurei:
Quòd Cardinalitiæ Romæ Purpuræ Aſſertor eſt:
Uſque ad ſanguinem
Pro ea pugnaturus.
Diſplicuit Leoni Veneto Venetus color: quòd Factionem
ſignabat.
Procul hic à Diſcordia
Leo.
Auſpicatò ab Urſis, & Vrſeolis Primi Venetorum Duces
initium ceperunt:
Adjunctis Leoni Vrſis: ne
Informis ille Imperij Fœtus eſſet:
Et Lupam Romanam
lambendo fingendoque vincerent:
Et Rempublicam Venetijs perfectam firmarent.
Hæc, extra Regij invidiam nominis, Conſules, Patricios,
Tribunos, admiſit:
Duces non excluſit.
Emendatâ Româ, quæ in Reges impacta hæſit.
Et in Imperatoribus titubavit.
Vrbs Veneta oblata ſibi Regna ſæpe repudiavit:
Reſpu-

Reſpublica libera.

Vel Romanam Rempublicam libertatem docuit
Hanc nimirum Brutus unus inſtituit: Venetam
Diſerti multi Patricij.
Ob amorem Patriæ Patres, & Publicolæ:
Apertis magis Cordibus,
Quàm Foribus.
Romana libertas ab altero Bruto parta, in altero
Bruto deſijt.
Non admodum felix Roma, quæ à Bruto didicit
libertatem.
Ideo Servile Bellum paſſa, quòd Servis
Semilibera abundavit.
Felices Venetiæ: ubi nata libertas diſerta, & integra
nullâ ſervitute.
Ille verè Liber *naſcitur,*
Qui Venetus *naſcitur.*
Civitas facta ad imperium, quam Angelus ille
Apocalypſeos adumbravit:
Cujus Pedes Columnæ: alter in terra
Alter in Mari poſitus.
Vnde Monarchia ex maritimo & terreſtri
Imperio componitur.
Singulis Europæ Regnis ſua ſunt Vrbium Capita.
Venetijs certè ineſt Iudicium.
Alibi Senes faciunt Anni.
Venetijs Animi.
Armis Togata Vrbs: Paludata Conſilijs.
Mira & Felix Mater.
Quæ cùm Filios parit, Patricios edit, qui
Patres Patriæ ſunt futuri.
Hîc verè Curia Templum: ubi Marcus decernit.

Senati

Senatores Reges:
Ubi ſui quiſque & juris eſt, & arbitrij
in dicenda ſententia.
Quot Conſilia, tot Oracula Animata Silentio;
Quo Reſpublica vivit.
Olim in Heſperia Magna, & Magna Græcia vix una
& anguſta
Pythagoræ Schola
Silenti.
Venetijs tota & ampla Curia Silenti Magiſtra eſt.
Apud ſe ſilet:
Et in reliquo Orbe
Clamores facit.
En: Cur ædificata in Mari? In Mari mutos Piſces
invenias.
Venetijs, Conſiliarios magis mutos
Quàm piſces.
Imò inter tot Lauros, loquacitatis Symbola, quibus
Coronantur puppes,
Scaphas ſilentio vincunt.
Omnes Veneti naves amant. Vnam oderunt,
Argo: quòd loquax fuit.
A Piſcibus didicere ſilentium? An ab ijs Piſces?
Cæteri homines in cæteris urbibus
Sub alijs Signis Zodiaci nati:
Veneti ſub Piſcibus.
Silentium hoc in Religionem tranſijt. Sacram
D. Antonij linguam
Sacrum Venetorum ſilentium meruit.
Illius Antonij, qui Piſces docuit:
Cujus lingua ibi incorrupta,
Ubi ſiletur.

Extra montes valleſque ſitæ Venetiæ, ne Arbores,
Sylvaſque admitterent:
Strepitum nempe foliorum, luxuriemque frondium
non amant:
Solidos fructus quærunt.
Lucos in lacubus: ſylvas in ſtagnis ne deſideres:
Sola apud Venetos Lauri & Palmæ
proveniunt.
His Carcheſia & Antennæ coronantur.
Quot malos videris, tot palmas puta. Quot Antennas
tot palmas exiſtima.
Nobilis illa victoriarum ſylva circumfertur:
Non uni loco addicta,
ſed toto mari vaga.
Venetijs non Poma reperies, niſi Heſperidum:
Quorum non Draco, ſed Leo cuſtos.
Quinetiam in gemmas incides, & Uniones Concordiæ.
Unio Venetijs cara,
Sed non rara.
Ibi habitat, quæ apud alios peregrinatur
Concordia.
Hic Pax vigilat. Mars dormit, niſi excitetur injuriâ.
Væ ſuſcitanti.
Leonem irritat, ut ſæviat.
In plano extra montes arduum habet Venetus
ſupercilium,
Quo terras, & mare temperat. Eò lites
Regum, Imperatorumque diremit:
Arma hoſtibus ademit:
Pacem juſſit:
Fædera imperavit.
Arbitrium ſibi ſæpe bellantis Europæ vindicavit.

 Inter-

Interdum ſcopulus fuit:
Ad quem bellicoſi ejuſdem armatæ, & juratæ
Fluctus impacti
Spumas egerunt:
Sed non magis moverunt,
Quàm ſcopulum.
Mare obnoxium ſibi officio reddidit abolitâ Xerxis
injuriâ.
Hic illi Catenas, & Compedes injicere tentavit,
uti mancipio.
Hæc oblato thalamo ad nuptias invitavit, uti illuſtrem
Sponſum, ac parem ſibi.
Sponſa Maris Annulo pignori dato, allexit Neptunum,
& addixit:
Solers, Prudens: quæ ferum illud & intractabile
Elementum
Amore conciliari, & Auro placari poſſe
Novit, ac Docuit.
Quin ſuo dotata ſanguine ad Sponſum accedit,
ut purpuriſſet:
Et pro hoſtimento Lac exigat,
Lacteumque Mare reddat.
Hac dote maritimum emit Imperium. Quod quanti
Faciendum ſit,
Ex nobiliſſimo Venetorum æſtimetur ſanguine.
Mare Beneficij memor
Inſignem gratiam retulit,
Arſinoen, Tyrum, Sidona, Carthaginem,
Veteres Amores ſuos,
Venetijs poſthabuit,
Et navalem illarum gloriam Venetias tranſtulit
Omnium eſt Compendium.

Vrbs

Urbs Veneta Orbis inſtar. Quæ Terrâ Marique
luſtrato Victorijs
In Orbe orbitam Virtutis cum ingenti
ſonitu Famæ
Impreſſam reliquit.
Vrbs Fortunæ, & Virtutis vinculum. Peregrinæ Gazæ
Et domeſticarum opum
Fidum & frequens Commercium.
Orbis Emporium. Palmarum ſeges. Trophæorum
Acervus:
Triumphorum Cumulus.
Bonarum Artium Schola: Fortitudinis Cos: Pacis Sedes.
Belli Palæſtra.
Majeſtatis Domicilium.
Fidei Propugnaculum: Eccleſiæ Clypeus: Pontificum
Perfugium.
Regum & Imperatorum:
Afflictorum Aſylum.
Peregrinorum Hoſpitium.
Chriſtianorum Amor: Turcarum Terror. Famæ
Theatrum.
Hæc eſt Vrbs Veneta.
Et quicquid excogitari ulterius ad gloriam
Vrbium poteſt
Coronis eſto.

SPECTACVLVM FERARVM MADRITENSE

Fallor? an in medio ſpectacula mira theatro
Aſpicio, quâ ſepta fori ſpatia ampla coercent
Compacta è tabulis, caveámque in pulvere firmant?
Hic ſeſe objiciunt variarum horrenda ferarum
Monſtra oculis: hinc fronte minax in prælia Taurus
Irruit: hinc totam Leo fervidus implet arenam.
Parte alia ingreditur variato tegmine Tigris
Verſicolor, non illa ferox, non qualis ad vndas
Sæpe furit, raptis cùm proſilit effera natis.
Primus in adverſos cornuto fulmine Taurus
Irruit audaci, non lenta reſiſtere Tigris
Evaluit; dat terga fugæ, campúmque relinquit
Victori: paulùm adverſus Leo ſubſtitit: illum

Et pudor, & virtus tenuit; mox ceſſit in Urſi
Vicinam caveam, luctantem exire coegit;
Tandem abiit, dominóque domum conceſſit habendam:
Non potis ille tamen violento obſiſtere Tauro,
Maluit adverſo ſeſe objectare Leoni.
Ergo ineunt pugnam. Sed quis contra ire leoni
Audeat? Inſiluit rapidus, mox unguibus armos
Effodit, ſtravítque ſolo: tum concitus ira
Verſus in adverſum dentes diſtinguit, & ora
Morſibus impreſſis laniat, ſolvitque duellum.
Ecce ferus Sonipes veſtigia ponit arenâ,
Arduus inſultans, pariterque ad prælia Mulus
Prodit, uterque ferox, calcéſque armatus uterque.
Non tulit hos Taurus: vento ruit ocior; ille
Vulneris impatiens, ſublatis cruribus altè
Imminet, & fronti calces allidit, & ictus
Ter, quater ingeminans, fera cornua calcibus exit.
Quid morer? In ſcenam vaſtâ ſe mole Camelus
Invexit; non ille animis, non viribus impar.
Nanque ferox Taurum venientem, & dira ferentem
Vulnera, ſublato crure anteriore, receſſit
Ponderis hoſpitio, frontemque oppeſſit iniquo
Vulnere: ſuccubuit tanto ſub pondere Taurus.
Quid tamen audaces ad prælia dira Moloſſos
Excitat? En rictu deductis faucibus inſtant,
Et Taurum exagitant, auréſque, & tempora circum
Dentibus infrendunt: verſum mox agmine facto
Invadunt; tamen ille ſuos ſe volvit in orbes
Intrepidus, duros acuens in vulnera dentes.
Ergo lupum cingunt, circunſtant undique, morſus
Intentant, ille arte, dolo, virtute repugnat
Saucius. En toto Vulpes veſana theatro,

Verſa-

Verſatur, quærítque vias, atque oſtia quærit
Certa fugæ, quoniam media jam morte tenetur.
Iamque inſtare canes, dentátaque fulmina ſentit;
Nil tamen illa fugâ, vulpina aut proficit arte:
Sternitur infelix medio lacerata theatro.
Nec melior Felem ſors excipit: efferus ille
Sylvarum quamvis latebras, & luſtra colebat,
Incidit in dentes, rabidórumque ora moloſſûm.
Exhilarat riſu pectacula Simia, muli
Inſidens dorſo, qui pondera ferre recuſat
Inſolita, excutiens repetitis ſaltibus armos.
Quid juvat? Ille manus, exertaque brachia tendit,
More hederæ, injectis & firmius unguibus hæret.
Iamque adeo ſortita ſuum ſpectacula finem,
Parta quies cunctis, nec ſpes erat ulla videndi
Ulterius bellum: ſolus dominator arena
Taurus, & elatis in pulvere cornibus extat
Inſultans, tumido attollens præcordia faſtu.
Non tulit Heſperiæ Rex Maximus: in ſua ſignat
Vulnera victorem: dat ſeſe in bella Philippus,
Inſonat ex alto, dextráque rubente laceſſit
Inſultantem aliis: tetrîque in nubila fumi
Sulphureum torquens violento turbine fulmen,
In mediam, quâ ſe pandunt duo cornua, frontem
Dirigit, & certo victorem percutit ictu.
Mira fides! priùs effuſo ſuper oſſa cruore
Proſtravit, ſonitum quàm quis diſcernere poſſet
Auribus, atque ſuo fulmen ſe prodidit ictu.
Sternitur in media Taurus reſolutus arena.
Fortunate nimis, cui Regia dextera mortem
Attulit, hoc uno veniet tibi vulnere palma,
Amplaque victori proprio de ſanguine merces

 Effluet;

Effluet; hac emitur præclara morte triumphus.
Nunc quoque victor abis: ſolùm te Regia dignum
Majeſtas habuit, proprio cui vulnere mortem
Quæreret, unde ſuæ creviſſet gloria dextræ.



ORPHE-

ORPHEVS TRAGICO COMÆDIA

IN AVLA REGIA PALATIJ
PARISIENSIS
CORAM REGE
CHRISTIANISSIMO
LVDOVICO
DECIMOQVARTO
ACTA.

EMINEN-

EMINENTISSIME CARDINALIS.

QVÆ ludit in Orbe Terrarum Sapientia, ea ex Verbo virtutis ſuæ Orbē portans, documento eſt, ſerias in Republica adminiſtranda curas remiſſum iri: ut à contentione animus relaxatus, liberiùs paulùm reſpiret. Itaque, vti animadvertit Clemens Alexandrinus, inter Politicos Orbis ad Legem inciti motus, choreas Verbum ipſum ducit. Non eò tantùm, quòd non pluris, quàm luſum, Vniverſi adminiſtrationem faciat; ſed quòd idoneis etiam luſibus locum relinquat. Reſpirat enim per hæc laxamenta animus, & ſe colligit, ut maiori ſe poſteà vi effūdat. Ea tu propter [Eminentiſſime Cardinalis] qui numeros Politicæ omnes contines, Regios à contentione maximarum curarum animos, oblato in ornatiſſima ſcena ſpectaculo, revocaſti. Quâ ſapiētiſſima, & Chriſtianiſſima illa Majeſtas, Orbis, & univerſi arbitrium gerentis Regni pondus aſſiduè portans, opportunè levaretur. Cum præſertim ijs, quibus tum edi ſpectacu-

lum curaſti diebus, lautiùs te, & hilariùs unanimi conſenſu populi invitare ſoleant. Quòd ſi miſeris id, ac infelicibus licet, quàm ab re eſſet, ſi minùs Gallis victoribus, dominíſque Gentium idem permiſſum? Sanè alij oblectamenta voluntate, Galli etiam jure vendicant. An quibus triumphi debentur, ſpectaculis abſtinebunt? Quamquam nullus, hujuſmodi ſpectaculo, triumphus ſpectatior. Æquum erat, ut qui à te victricem foris Galliam vidimus: à te domi triumphantem videremus. Pruriebat hic in tuas laudes [Eminentiſſime Cardinalis] animus. Sed impetum continui, quòd hujuſmodi eſt ad luſus antelogium: nec deceat tam ſeria ludicris præludere. Et ſi ludicra hæc tua, aliorum ſerijs poſſint anteponi: certè Romana ſunt, puri, putíque Latij, atque adeò prorſus admiranda.

Vale.

Eminentiæ tuæ

Servus obſequentiſſimus

Fr. Franciſcus a S. Auguſtino Macedo.

NVN-

NVNCVPATIO.

EMINENTISSIMO D. D. CARDINALI JVLIO MAZARINO CARDINI

Rectæ Politices: ultra Cæſarem Iulio: intra Iulium moderato.

Acumine, miro: Iudicio, ſummo:
Prudentiæ, excellenti: Conſilio, maturo.
Animo, magno: Indole excelſo.
Gravitate, ſerio: Facilitate, ſuavi: Authoritate, ſevera:
Humanitate, hilari: Comitate,
Urbano. Amabili intra reverentiam:
Venerando intra amorem.
Armato, Purpurâ: Purpurato, Armis.
Togato cum ſago: extrà Prætextam
crepundiaque.

Purpu-

Purpureo Patri: Nunc Amanti: Nunc
Fulminanti. Tonanti à Superis:
Amicis lævo: Hoſtibus dextrò.
Atlanti Gallico: Herculi Italo:
Hermathenæ Gallo-Italicæ:
Palladi Armatæ. Apollini Pharetrato.
Oraculo Sibyllino conſtanti: Delphicô
non ambiguo. Trophonio
perſpicuò.
Docto Mæcenati: Muſarum decori:
Litterarum præſidio: ſcientiarum
Columini.
Platoni conſiliario: Ariſtoteli Politico:
Socrati morato: Tullio diſerto.
Principi Sacro: Imperatori Pacifico:
Hoſti incruento: Amico tenaci.
Socio individuo.
Pio: Religioſò: Integro: Fido:
Conſtanti: Incorrupto: Munifico:
Magnanimo: Provido: Sagaci:
apud omnes Gratioſo: ad omnia
Summa natò.
Ob multa Pacis: Bellique Decora:
Laurorum faſces: Palmarum cumulos:
Trophæorum acervos: quos ingenio:
Induſtriâ:
Magnanimitate: Galliæ ſuæ Italus peperit:
propter obnoxiam ſibi, addictámque
Fortunam, quam Gallici
Iuris fecit.
Ob editam inſignem Tragico comœdiam:
Perſonarum actione: Verſuum elegantiâ:

Vocum concentu: Veſtium ornatu
Theatri magnificentiâ:
Scenarum apparatu: Operum molitione
germanè Italam: verè admirandam:
Hoc Euchariſticon Plauſus & Admirationis
ergô.

P. Franciſcus à S. Auguſtino Macedo Franciſcanus,
Luſitanus, Sacræ Theologiæ Profeſſor.

D. E. C.

TRA

TRAGICO COMÆDIA ORPHEVS.

PROLVSIO.

Amphitheatrali ſileant miracula Circo
Edita, Piſæi cedant ſpectacula Campi:
Exurgunt maiora novo ſpectanda Theatro,
Et victura fidem: nunquam ſudata Tonanti
Eſt alias moles operis: ſuccumberet Atlas
Ingenio, varias & Dædalus iret in artes
Attonitus: tantos conſumit Scena labores!
Ergo Purpurei decor ille, & fama Galeri,
Pacis amans, bellique potens, lux illa micantis
Italiæ, ſtupor Europæ, mens ignea Cælo
Addita, quæ Francis radians nova lumina regnis
Intulit, ille parat ſpectacula Iulius, ille,
Qui Mazarini tollit ſuper æthera nomen:
Regia quo laxet dulcedine pectora viſus,
Et minuat curas, levius quo pondera ſceptri
Et tractare queant, & mittere mollius arma,
Sériaque appoſito miſcere negotia riſu.

Ilicet

Illicet Italicas, præſtant quæ viribus acris
Ingenij, mentes agitat, fæcúndaque tundit
Pectora, quo poſſint varias prodire per artes
In jucunda oculis miracula; concitat aptas
In numeros, verſúſque fides, ſervire decenter
Perſonas habiles, faciéſque inducere ſcenis
Imperat. Illa dies aderat, quâ lauta parari
Fercula, feſtivæque ſolent convivia menſæ,
Totus & extremas incumbit Bacchus in urnas,
Hæc multâ de nocte placet. Quâ Regia latè
Panditur in tectum, caveáque ingente pateſcit,
Conſita luminibus ſurgit domus: aſtra putares
Sidereis effuſa locis. Hîc machina ligno
Clauſa ſinus, rupto ſubitò ſe viſcere pandit,
Armatáſque acies, conflátaque prælia monſtrat,
Urbis ad effigiem, quæ promit in aëra turres,
Et circùm armato ſe milite tota coronat.
Quam tamen oppugnant Gallorum examina gentis
Ignea; pérque enſes, perque obvia tela, volantum
More ruunt: donec rapidis victoria pennis
Gallica ſe prodit, dum candida lilia jactat,
Dátque manum, Gallóſque ad ſumma cacumina mittit
Faſſa Deam: quæ mox alacris ſe jungere caſtris
Gallorum accelerat, Regíque addicta puello,
Adfore ſe cunis promittit, & umbrat amictu
Tempora laurigero, matríſque obnoxia votis
Reginæ, cadit ante pedes, profeſſa minorem,
Succumbítque jugo, dotes mirata beati
Ingenij; dignam toto quæ regnet in Orbe
Prædicat, & celſis meritum caput inſerat aſtris.

ACTVS PRIMVS.

SCENA PRIMA.

ARgumentum igitur ſe Fabula protulit Orphei.
Hîc oculos implet facies converſa theatri,
Urbis agens ſpeciem: videas conſurgere turres,
Attollíque domus, & longa palatia duci,
Altaque templorum committi culmina Cœlo.
Ecce autem Endymion, curis ſtimulatus acerbis,
Carpit iter, Divûm conſultum oracula, ſortis
Anxius Eurydices; nec enim fælicia plaudunt
Aſtra thoris. Cœlo ſe reddidit Augur, & æthram
Metitur lituo. Geminos videt ire per auras
Vulturios, roſtro geminis atque ungue minantes
Turturibus, ſtátque attonitus; ſed ſedula nutrix
Obloquitur, præſaga mali portenta refutat,
Incuſátque fidem, thalamiſque encomia mandat,
Deliciáſque refert. Monſtro tum territus Augur,
Fontanas ſcrutatur aquas, ut flumine vivo
Eluat, è lævo ſi quid contraxerat aſtro.
Inde cohors ſociûm numeris ſe dulcibus infert,
Fortunæque vices modulato carmine damnat,
Quòd nunquam vero Fortuna arridet amori.

SCENA SECVNDA.

QUis procul ille autem, redimitus tempora myrto,
Diſpergénſque nuces? Ecquam tu dixeris, aſtris
Quæ ſe penè parem formoſior exhibet? ardens,
Lampade ſuccenſa? thalamis coeuntibus illos
Adventare putes: illum Lyra prodidit Orpheum,
Eurydicen ſuus ille decor, pudor ille venuſtus;
Concordéſque, paréſque animæ. Melioribus olli
Auſpicijs digni, nati infælicibus aſtris.
Hos tamen Endymion cantu ſolatus, amores
Laudat, agens rupes, ſtupefáctaque flumina verſu.
Inde thoros adeunt, Veneriſque in prælia currunt.

SCENA TERTIA.

INvidus at thalami, votíſque ingentibus impar
Paſtor Ariſtæus, ſortem indignatur iniquam.
Quem Satyrus geſtu vario ſolatur, amico
Mille ciens geſtu ludibria, mille colores,
Verbaque jucundo miſcens diſcordia riſu.
Ludicra Ariſtæus ſpernit ſolatia, cantu
Mæſtitiámque levat. Caſus miſeratus amantum,
Invidiæque nefas, Satyrus comitatur, & una
Concordes dant voce melos. Sed numina Divæ
Inclamat Veneris repetito carmine Paſtor.

SCENA QVARTA.

EN ſuper o totus ſe cardine movit Olympus,
Expanditque fores, glomerantur ſidera: fulget
Aſtra inter meliora Venus; puer inde Cupido
Se comitem, Charitéſque ferunt; quæ gutture terno
Idaliæ monumenta canunt, & crimina Divæ,
Et pharetras nati, miſtáſque ardore ſagittas.
Nec Venus abſiſtit, natúſve; & utérque canendo
Inſequitur Charites. Paſtori Erycina gementi
Adſtat Ariſtæo, pectúſque obfirmat amori.
Aſt Amor improperat triſtis diſpendia cordis,
Nec ſibi vult tribui lethalia vulnera. Sortis
Quiſque ſuæ faber eſt: gemitus cuduntur in altis
Pectoribus, ſe quiſque ferit, moritúrque videndo;
Conſentítque Charis dignata Cupidinis iras.
Paſtor at indignans Venerem projectus adorat,
Adjungítque preces, liceat quo jure potiri
Eurydices, thalamíſque frui; Satyrúſque petenti
Voce favet, damnátque ſuos, quòd conjugis horret
Amplexus, nec forma placet: fovet alma petentis
Vota Venus, firmátque animum, manibúſque venuſtæ
Imperat aptari Charitis, quo pulchrior ille
Ingruat in thalamos. Satyrum Venus excitat; olli
Ingerat ut flammas, mentémque immutet in ignes
Alterius; quo priſcus amor minuatur amoris
Arte novi. Venus inde ſuo comitata puello
Exit, & in templum Prothei contendit; aniles
Induat ut vultus, habitúmque infringat honoræ

Frontis,

Frontis, ut inſidias, aſtútaque furta miniſtret.

SCENA QVINTA.

AUget Ariſtæi Venus aurea frontis honorem,
Inſpirátque decus: fulvos de more capillos
Pectine conformant Charites, laudéſque decoræ
Decantant formæ: Satyrus contemnit honeſtæ
Frontis opus, fucóſque vetat, mentítaque damnat
Fænora, nec patitur larvato incedere vultu.
Paſtor Ariſtæus Veneris veſtigia certo
Inſequitur paſſu, ſpémque alta in fronte ſerenat.

SCENA SEXTA.

AT Satyrum comunt Charites, paritérque revellunt
Cæſariem, turbántque comas: tamen ille renidet
Ore hilari, formæque adèo poſtponit honores
Divitijs, opibúſque docet ſuccumbere vulgus
Fæmineum: & fulvo nihil eſſe potentius auro.
Ilicet iratæ Charites in verbera currunt,
Et Satyrum magnâ plorantem voce flagellant.

SCENA SEPTIMA.

HIc Hymenæus adeſt, lætóſque inſpirat honores
Eurydici, jungítque viro, coeuntibus aſtris

In thalamos, Regina Deûm conſpirat, Apollo,
Certus adeſt, juvat Endymion, & gaudia vultu
Liberiore colit. Solus connubia Momus
Arguit: incuſans, humano in corpore cauſas
Eſſe necis, quòd vita brevis, quòd forma caduco
Nixa luto; cùm fixa Polo ſtent ſidera, nullo
Interitura die, pulchróque effulgeat auro
Phæbus, & argento ſe Cynthia pura coronet.
Deformis quantum inde malum ſit fæmina, cantu
Proſequitur; rurſúmque canit diſcrimina pulchræ,
Et maiora putat. Videas glomerare choreas,
Et numeros miſcere pedum formoſa Deorum
Agmina: ſed medio cernas ſuccumbere plauſu
Lampadas, & ſubitis extingui lumina ventis.
Ergò omnes trepidi fugiunt, damnántque ſiniſtrum
Augurium: coeunt oviúmque, boúmque magiſtri:
Inque chorum juncti, Cæleſtia Numina votis
Propitiare parant, monſtrúmque avertere curant.

ACTUS SECVNDVS.

SCENA PRIMA.

ECce Venus mentitur anum; vix fucus honorem
Diſſimulat, frangítve decus: ſolatia triſti
Aptat Ariſtæo, comitem ſeſe aplicat: inde
Implorat nutricis opem, quæ ſedula cuſtos
Eurydicis, meditata dolos, ſeſe obvia contra
Obtulit; Eurydicémque trahit: Venus anxia curis
Firmat Ariſtæum; venientes decipit aſtu,

Ceu

Ceu canat, & vario divertat carmine ſenſus.

SCENA SECUNDA.

HOrruit Eurydice, vultúmque, & verba procacis;
Indignata dolos Paſtoris, & addidit iræ
Admonitâ nutrice faces, ſtimulóſque pudoris.
Sed Venus elatâ venientem fronte ſalutat,
Et parat occultas veniendi dicere cauſas.
Se ſociat, confértque caput. Mox certior ædes
Eurydicen ambire ſacras, ut monſtra repellat
Horrida, quæ thalamis portenta immania portant,
Suadet, ut alterius ſe conjugis addat amori,
Immutétque thoros. Vocem pudibunda refutat
Eurydice: ſed dura Venus Paſtoris amores
Laudat Ariſtæi, thalamóque inducere certat,
Invitâ Eurydice, nihil impia vota tuente.
Infert ſe lachrymans captato tempore Paſtor,
Eurydicémque rogat, faciles ut queſtibus aures
Præbeat, & quantos patiatur ab igne labores
Audiat. Illa vetat. Ficto tum carmine nutrix
Demulcet, cogîtque graves audire querelas.
Ardet Ariſtæus, flammíſque accenſus amoris,
Multa refert, promîtque ignes, moméntaque rerum
Applicat; & facies agilis ſe vertit in omnes.
Inſtat, agítque Venus: ſtimulis præcordia pungit
Dura fide; miſcétque incendia perfida nutrix.
Nec tamen evincunt. Stat vivo immota pudore
Eurydice, ſpernîtque faces, precibúſque reſiſtit,
Templa petens: nutrix blandis ſermonibus altum

 Triſtis

Triſtis Ariſtæi mærorem abſtergit, & iras.
Arguit immanes ſexus muliebris, amoris
Incertáſque vices fidibus modulatur acutis,
Spémque ciet, mæſtáſque abigit de pectore curas.

SCENA TERTIA.

TUm Satyrus rabido ſtimulatus corda furore
Implet Ariſtæum furijs, verſátque doloſo
Pectore conſilium, dum relligione pudicam
Concutit Eurydicen: hortatur adeſſe choreis,
Quæ fieri de more ſolent per gramina Solis
Florea, Ariſtæumque monet, ſe miſceat unà
Saltibus, atque chorum caſta cum conjuge ducat.
Nec minus inde Venus flammantibus incita pennis
Provocat in tædas natum, ſtimulátque morantem:
Quòd fraudes, technæque patent:.

SCENA QVARTA.

ſeſe implicat aſtu.
TUrba novo. Momus naſo ſuſpendit Amorem,
Crudelemque vocat, miſeros quòd lædat amantes,
Conficiátque dolis. Nec vana querela. Tonantis
Magna ſoror, Phæbúſque probant, & utrinque Cupido
Tunditur. In Venerem cauſas tamen ille retorquet,
Prodit & inſidias, alio quòd captat amore
Orphea, & antiquos extinguere cogitet ignes,

Inductis

Inductis ex arte novis. Iratus Apollo
Urget, & impellit Iunonia flamina vento.
Conſilij, ne pergat opus, fruſtráque laboret
Vana Venus. Iunoque ſibi conjungit Amorem,
In ſua vota trahens: ſociant mox cantibus unà
Et voces, & corda novis; laudúmque ſuarum
Argumenta canunt. Momus tamen inde recedit,
Nec potis eſt laudare melos. In ſidera Phæbus
Alta redit; mavult terris ſuccedere Iuno,
Quærat ut Eurydicen, & pectora numine firmet.

SCENA QVINTA.

ERgo ſolus adeſt, implétque theatra Cupido,
Conſcius ipſe ſui, Charitéſque expectat, anili
Quæ Veneris ductæ ſtudio, producere tentant
Orphea, quem ſtimulant alienæ igneſcere Nymphæ.

SCENA SEXTA.

IAmque adſunt, medíumque trahunt, ſuadéntque canendo
Orphea mordaces animo depellere curas.
Ille alto mærore fides ſibi defore jactat;
Nec voci numeros, nec vocem faucibus eſſe,
Quam ſtupor abſtulerit. Tum motus amore Cupido
Inſidias aperit, ſecrétaque ſenſa parentis,
Mentitámque oris ſpeciem, quò tutiùs illum
Decipiat, fallátque dolis. Spondétque favorem,

Datque

Datque animos. Orpheus ingentibus excitus aſtris
Perſolvit dignas merito pro numine grates.
Inde abit, Eurydicémque animo ferventе requirit.

SCENA SEPTIMA.

AT Venus in natum furialibus excita pœnis
Invehitur, námque ille dolos, & furta parentis
Rettulerat: Venerem Charites docuere ſorores,
Implerúntque furore animum. Materna Cupido,
Tela tamen damnans Veneris, commenta refutat,
Pectora queis, & corda flagrent: non fraudibus aptum,
Se natum ad pharetras, & flammea ſpicula tantùm,
Aßuetúmve dolis: videas ferveſcere matrem,
Et Charites ardere irâ, puerúmque parentes
Cædere, & erectas in vulnera tollere palmas.
Ocyor ille Noto, rapidis ſeſe explicat alis,
Eludítque manus, ictúſque irridet inanes.
Hîc habitum deponit anus Cytherea, decori
Redditur antiquo, mediáque in luce potentem
Se confeſſa Deam, parat Orphea vincere, nec jam
Inſidiæ-ve, doli-ve placent. Vi tendit aperta
Hoſtiles contra ire Deos, acuítque decorem
Conſcia virtutis, qua nulla potentior, & ſe
Dant ſocias Veneri Charites, cedúntque theatro.
Nec decus eſt terrore minus.

SCENA OCTAVA.

Iam territus Augur,
ENdymiónque parant Veneris placare furorem,
Sacra manu, vittáſque gerunt. Sed Regia Iuno
It contrà, fieríque vetat: nihil eſſe timendum
Eurydici de Matre docet, cùm natus obumbret
Præſidio alarum, maternaque tela refutet.
Séque Iovis thalamo, ſceptroque effulgere Divûm:
Quæ Venerem longè ſuperat, quæ numine molli
Diffluat: & vires Iunonis, & arma tremiſcat.
Sacra ſibi facienda monet: detorſit in aras
Donec thura ſuas, Veneríſque eliſit honorem.

SCENA NONA.

EN iterum redeunt Nympharum examina, flores
Invidiâ formoſa necant, ſtelláſque laceſſunt,
Sidera pratorum: luces ut Luna minores,
Eurydice tamen una præit, radiíſque refulget
Auctior, & toto ſe vertice tollit in aſtra.
Innectunt igitur choreas, & carmina miſcent
Dulcia: at Eurydice tenero dat lumina ſomno.
Expectare placet Dryadas, quæ maxima ludi
Pars foret, ut choreas jungant, & carmina dicant,

SCENA

SCENA DECIMA.

Mox ubi ſe Dryades in florida prata tulerunt,
Formarúntque choros: Nymphæ, queis cura ſoporæ
Eurydices, rumpunt ſomnos, ſtimulántque jacentem
Surgere, & attentas numeris dare dulcibus aures.
Surgentem vinclis retinere tenacibus herbæ
Conantur, florúmque parant veſtigia nodis
Stringere, ne fatis ſe triſtibus offerat ultrò.
Victima certa necis. Sed quis Cæleſtia Divûm
Fata vetet? Socijs properat ſeſe addere Nymphis.
En ſubitò è latebris, ſylvarúmque excitus umbris,
Cauſa mali tanti Satyrus ſupereminet, illam
Involat, intentus furto. Tremit icta repentè
Eurydice, carpítque fugam. Vix atterit herbas
Paſſibus, intacti libant veſtigia flores
Innocua, & preſſus levitèr vix ingemit aer.
Vadit certa fugæ, mortis ſed neſcia: cautos
Nec ſinit eſſe gradus: blandis nec floribus ullos
Credit ineſſe dolos. Sed quis non mollia ſemper
Inſidioſa putet? tenerâ jacet Hydrus in herbâ
Conditus, ut ſervet molliſſima prata veneno.
Degener ò Cuſtos! animas qui perdere norit,
Gramina quo ſerves! paſſum gradientis inanem
Audijt: & quanquam nullo ſe innoxia damno
Inferat, occurrit plantis, & dente prehendit
Mortifero, calcémque premit, virúſque potenter
Ingerit, & mortem vitalibus applicat extis.
Attonitæ fugiunt Dryades, & Numen in Hydro

Eſſe

Eſſe putant, cedúntque Deo.

SCENA VNDECIMA.

Non caſtus amore
CEdit Ariſtæus; maiori at numine plenus
Advolat, & fixum vinclis mordacibus Hydrum,
Eurydices plantis implexum, avellere certat
Impiger, ulturus crimen. Sed caſta recuſat
Eurydice, retrahítque pedem; nam maluit Hydro
Credere, quàm Cupido. Minùs & temerare pudorem,
Perdere quàm vitam voluit: nam parcere famæ
Stat potiùs, mortémque pati. Miratus amorem
Conjugis indoluit Paſtor, lachrymíſque cadentem
Proſequitur; ſeque ipſe gemit, cedítque gemendo.
Accelerat nutrix rabido percuſſa dolore,
Eurydicémque levat; ſed non potis illá: recumbit
Iam moritura ſolo: pulcher color ora relinquit
Pallida, langueſcunt oculi, vis ignea vultus
Friget, & expandit fluitantia brachia, mortem
Ebibit, & vitam placido ſpiramine fundit.
Excipiunt animum pariter cùm corpore Manes
Innocuo: tanta eſt caſti reverentia voti!
Ambitoſa patent telluris viſcera, pignus
Læta vorant, puriſque volunt diteſcere membris,
Virgineæque nivi pallor poſtponitur auri,
Argentóque minor, minor eſt & gloria gemmis.

SCENA DVODECIMA.

VOlvitur intereà revolutâ mole theatrum:
Verſa Polum facies, ignítaque ſidera monſtrat.
Aureus è ſummo ſe cardine mittit Apollo,
Incuſátque moras, quòd mors velocior alas
Addiderit, cunctante Polo. Circum agmina ſeſe
Nympharum addenſant, & triſtia funera plorant.
Donec in æthereas iterum conceſſit Apollo,
Extincto ſplendore, plagas; Nymphæque requirunt
Pars vitreas ſedes, pars antra, & lignea tecta
Arboreis truncis, & Sole abeunte, recedunt.

ACTVS TERTIVS.

SCENA PRIMA.

TRiſtior hîc, lachrymíſque oculos undantibus auctus;
Senſu, & ſorte minor, vitæ vix conſcius Orpheus;
Dimidiúmque ſui, tumulata Conjuge, Parcas
Numen atrox, tripléxque rogat: vitalibus auris
Eurydicen reddant. Sed inexorabile penſum
Retrò poſſe negant filo rapiente reduci:
Fata obſtare vetant. Cytharæ ſed conſcius Orpheus,
Et numeri, vocíſque potens in ferrea pugnat
Pectora: fila fides ſiſtunt currentia, Parcæ
Pugnaces ſolvere manus, & avara remittunt

Stami-

Stamina: conſilióque favent, ut Tartara tendat,
Plutonemque petat, numeroſæ vincula vocis
Intendátque canens, donec devinciat, auris
Reddat & Eurydicen ſuperis: illè auſus Averni
Ire vias, inquirit iter, quâ ſe ocyus Orco
Inferat, id Parcæ modulato carmine monſtrant.

SCENA SECVNDA.

NEc minùs Endymion caſu concuſſus acerbo
Ingemit. Eurydicen lachrymis, atque Orphea planc-(tu
Inſequitur. Sociam laniato pectore nutrix,
Dilacerata comas, ſe luctibus addidit; ambos
Augur amat, relevátque ambos: ſolatia præbet
Providus, & memorat Iunonis numina votis
Debita: concedunt, Cælúmque in vota fatigant.

SCENA TERTIA.

PAſtor Ariſtæus, diris agitatus iniquis,
It trepidus, tortórque ſui, mortémque laceſſit,
Infenſus vitæ. Dehinc terra impulſa tremiſcit,
Atque aperit concuſſa ſinus: quâ ſe extulit umbra
Eurydices meditata minas, vultúque feroci
Exprobrat exitium, furijſque ultricibus acta
Involat in vultus; mortémque inferre pararet,
Ni metus, ut ſecum rabidum deduceret hoſtem,
Inferrêtque Erebo maculatam crimine peſtem.

Ergo

Ergo nece abſtinuit: dirum tamen inde colubrum
Horrentem maculis in verbera comparat; illum
Vibrat, & impingit capiti, pulſátque trementem.
Nec ſatis. Inſano verſátque, rotátque furore.
Eripit & mentem, furijſque ingentibus implet;
Deludens oculos, ſéque in ſua Tartara condit.
Attonitus manet ille metu; mox incitus æſtro
In varias agitur contorto corpore partes,
More pilæ: non ulla quies, non ulla morandi
Cura ſubit, vocat Eurydicem, quærítque negantem.
Iam furor eſt, ubi vixit amor.

SCENA QVARTA.

Sed Momus amicè
FErt Satyro conjunctus opem; modulatur uterque;
Lætitiámque afferre parat: tum geſta iuentur,
Inſanum teſtata caput: nam ſaxa revellit,
Et jacit in tergum, ceu ſe novus inferat Orbi
Deucalion; lapidéſque hominum molleſcere membris
Poſſe putat, Momûmque ſuo de munere naſci,
Et Satyrum: rurſum Satyrum putat eſſe pudicam
Eurydicen; Momum nutricis imagine format;
Sermonéſque ſerit varios, & ludicra mille
Verba refert; tandémque ardens Mavortis amore
Belligerum carmen trux intonat, & ſonat arma
Horridus, & ſaltu cedit furioſus arenâ.
Numina diſcedunt. Paſſúmque, & verba ſequuntur.

SCENA

SCENA QVINTA.

Hic Iuno invidiam, ſed quæ comitatur amorem,
Ingerit, & ſocia jubet ire in tecta Barathri
Suſpicione. Pares veniunt in fœdera peſtes,
Maioreſque tribus Furiæ: quo Tartarus igne
Deteriore flagret. Ceu pulchrior iret in Orcum
Eurydice, Plutóque adeò, ſuccenſus amore,
Conjugis horreret thalamos, vetitúmque novaret
Connubium: quo accenſa graves Proſerpina flammas
Concipiat, ſociámque pati regione recuſet
Tartareâ, pellátque foras. Turbata moratur
Suſpicio, dubitans penetrare an Tartara poſſint?
Et refugit. Rabidus Zelus tamen ingruit, & ſe
Artibus innumeris ſtygios penetrare receſſus
Poſſe docet, ſpondétque ducem, ſibi cuncta patêre;
Si tamen excipias, quæ Sequana tecta frequentat.

SCENA SEXTA.

EN Venus ingreditur palmis animata, triumphi
Effigies formoſa ſui; ſtant membra trophæis
Viva novis, ſpecieſque decens victricia prodit
Signa genis: nunquam ſe pulchrior intulit aſtris.
Vritur invidiâ Superum Regina, furoris
Evomit & flammas: paulúmque infenſa recedit;
Arma parans, & cuncta notans. Cytherea theatrum

Implet;

Implet, & incendit ſpectantum pectora Sole
Frontis; olorinâ mox dulcia carmina voce
Intonat, & proprios modulatur læta triumphos,
Blanditúrque ſibi. Iuno tamen icta ſceleſtam
Arguit, immanémque vocat, quòd tollere Nympham
Maluit inſontem, ſtygijſque immergere lymphis.
Nec ſatis. At nitidum tenebraſſe hoc funere Solem
Effuſum in lachrymas, & lumina pulchra negantem.
Irridens objecta Venus, graviora reponit,
Plena ſui, Solémque ſibi dependere pœnas
Promeritas, illo pro crimine; Martia quando
Furta palàm radijs audacibus intulit auræ
Æthereæ. Sontes oculos nunc pendere luctu
Effuſos nimiùm riſus, & gaudia puro
Contemerata Polo. Nec Iuno abſiſtit: & obſtat,
Eurydicem jactans ſuperas evadere ad auras
Cantibus Orphæis devincto Numine poſſe
Tartarei Regis. Venus aurea dicta refutat,
Alternántque vices; mox in diverſa recedunt.

SCENA SEPTIMA.

IAmque adeò infernas tenebroſi carceris umbras
Suſpicio, Zelúſque animis concordibus ambo
Intrarant; ſubitò vacuos ſed Manibus omnes
Invenere locos, & vera ſilentia tectis.
Mirantur, cauſáſque rogant. Vix parvulus antro
Unus erat Genius, qui fortè ad limina cuſtos
Excubat. Hic conſultus ait: Ne ſola putetis
Tartara, quæ fervere ſolent ſtridentibus umbris,

Innume-

Innumeriſque expleri animis: deſerta videntur,
Quòd coïere omnes, quâ ſe novus intulit hoſpes
Vivus in infernos, temerata lege, penates,
Et vetitum perrupit iter. Gratatur utérque
Adventum, caſúmque ſibi, licuitque videre
Tartarei ſecreta loci. Proſerpina ſeſe
Obtulit: hæc caſtos modulatur conjugis ignes,
Invictíque fidem thalami. Sed numina ficti
Arte doli minuere fidem, flammâſque miniſtrant
Invidiæ, zelíque graves: veniſſe recentem
Eurydicem, placuiſſe oculis Plutonis, amari,
In partémque venire tori. Proſepina curis
Puncta novis, agitat ſtygijs depellere tectis
Eurydicen: unáque canunt, & mollia miſcent
Guttura, congeminántque modos: documenta maritis,
Ne nimium caſtis diſcant confidere tædis.

SCENA OCTAVA.

HIc ego fumantes ſcopulos, atque ignea Saxa
Inſpicio, Manéſque rogis ardere, fluentes
Ire vado flammas, glomerare incendia lymphas.
In medio videas, agitato lyntre, Charontem
Orphea cantantem, contemptis legibus Orci,
In ſtygias deferre plagas. Sed concitus ira
Rex Erebi, rurſum remeare, & quærere littus
Imperat, & reddi permenſo flumine terris.
Reſtitit ille tamen, numeros cauſatus, & actum
Vi citharæ feciſſe docet, quæ flumina ſiſtat,
Saxaque, & arboreos convellat murmure truncos.

 Nec

Nec ſatis. Urget eum Pluto, cogítque potenti
Imperio: frangit ſed vota Proſerpina, ſacta
Invidiâ, zelóque gravis, flectítque maritum,
Reddat ut Eurydicem. Cuncti ſimul ore miniſtri
Tartarei acclamant: glomerantur & agmina cantus
Conſcia, Plutonémque movent parere maritæ,
Expugnántque animum. Tanta eſt violentia verſu!

SCENA NONA.

SUavius hîc tenero percurrit pectine chordas,
Inque ciet numeros ſeptem diſcrimina vocum,
Dulciùs haud unquam modulatus verſibus Orpheus.
Attoniti ſurgunt Manes, vocémque ſequuntur,
Eſt pænis indicta quies; incendia ceſſant.
Tum primùm ſtabiles aſpexit Tantalus undas,
Oblitúſque cibi miratur in arbore poma,
Nec cupit, Ixion fixus ſtetit axe rotarum
Immoto. Manet obtutu ſuſpenſus in uno
Siſyphus; elatúmque tenet ſine pondere ſaxum.
Supplicij ſilet omne genus. Proſerpina cogit,
Acta furore gravi, Plutonem educere vinclis
Eurydicen. Pluto mollitus pectora cantu
Annuit, & certâ moderatur gaudia lege:
Ire quidem liceat: ſed cernere pone ſequentem
Non liceat: ſin illa Erebo reddatur, & umbris.
Accipit, & meritas Orpheus pro munere grates
Reddit, & optatâ comitatus conjuge linquit
Tartara. Feſtivos reſonat Proſerpina plauſus
Voce ciens numeros, Plutonémque allicit; inde

Intexunt choreas, agitántque ad carmina plantas.
Heu quæ non miſeros dementia ludit amantes!
Impatiens legis, furiiſque agitatus Amoris,
Reſpicit Euridicen Orpheus miſerabilis; & ſe
Prodidit, Eurydicenque ſuam male perdidit.

SCENA DECIMA.

Illam

IRe retrò cogunt clamantem, & multa gementem.
Ipſe Charon ruptam ſpargit per Tartara legem:
Arripit Eurydicen, & triſtibus ingerit umbris.
Orphea nequicquam ingeminat; conjúxque viciſſim
Eurydicen: rurſúmque fides, ac plectra reſumit;
Sed vox fracta vetat: gemitúmque emittit inanem
Pro numeris: rupto fluxerunt pectine chordæ.

SCENA VNDECIMA.

EUrydice Plutonem adiit; cauſámque tuetur
Iure ſuam, inſontem ſeſe in tenebroſa retrudi
Antra, nec alterius maculari crimine poſſe.
Quòd ſi crimen erit, donandum crimen Amori.
Fata negant revocare gradus: ignoſcere Manes
Iura inferna vetant. Pluto tamen integer umbris
Eruit, Elyſióſque dedit concedere campos;
Lux ubi pura nitet, Phœbúſque micantior aſtra
Irradiat ſplendore novo: floréſque virenti

 Gramine

Gramine perpetuo potiuntur veris honore.
Mollis ubi ſerpentis aquæ ſeſe agmine Lethe
Fundit, & ambiguo ſuſpendit lumina curſu.

SCENA DVODECIMA.

Hic ſubito Pelagi facies ſe oſtendit; in undas
Criſpatur vitreas: argentea ſtagna renident
Innocuis agitata Notis: ſtant littora conchis
Lucida: conſpicitur ſublato vertice Bacchus
Ire ſuper varias Bacchantum in littore turmas.
Fæmineos ciet ille choros, ille Orgia pulſat,
Pampineáſque manu jactantior incitat haſtas.
Huic Venus immittit furiarum prodiga mentem
Vindictæ, ut dirâ pœnas pro cæde repoſcat
Triſtis Ariſtæi. Caſum docet, & monet illum
Sanguine vindictam clamare, animûmque paternum
Arguere, Eurydicen cauſámque, capútque malorum.
Quam tamen extinctam revocare in luminis auras
Orphea concentu potuiſſe, iterúmque redire
Hoſtilem in ſuperos animam. Furialibus arſit
Vindictæ ſtudijs, cæcâque cupidine Bacchus.
Infremit, & mentem rabidam Bacchantibus infert:
Orphea, & Eurydicen ad funera dira repoſcunt:
Eurydicen, Orpheúmque petunt; Orpheóque minantur,
Eurydicéque ſimul: ciet omnes ira; cruentas
Exercent choreas; ulatibus aera complent.
Nec tamen aut numeros furiæ, aut gravis ira choreas
Diſſipat; egregium ſervant, iterántque tenorem.

SCENA DECIMATERTIA.

INtereà queſtus miſerabilis excitat Orpheus
Populeas inter frondes, & roſcida ſaxa,
Quæ lachrymis maduere magis, citharámque recurſat
Vix digito ſervante fidem. Phlegetontis iniqui
Sævitiam queritur; pænarúmque invocat agmen,
Et ciet in ſeſe: ſolíque inſiſtit amatæ
Eurydici, ſonat uxorem, repetítque canendo.
Eurydicen geminas vox viva, fidéſque ſonantes
Eurydicen referunt: mortem ſed conſcius ille
Provocat ad numeros; ciet ad ſua carmina mortem.
Ecce etenim avulſi glomerantur ab arbore trunci,
Inque caput redeunt rupes, & ſaxa; ferarum
Dira domus, coeunt urſique, lupíque, canore
Attoniti; totis radicibus erutus inſtat
Mons ſuper intentum. Ciconum mox agmine facto
Orgia fingentes, feſtívaque gaudia matres
Incumbunt, rapiúntque lyram: tum membra cruentis
Diſcerpunt manibus, rumpunt vitalia, nervos
Incidunt, oſſa effringunt, ſpargúntque per agros.
Avulſum inde caput, vivâ quod voce ſonabat
Eurydicen, rapidi jaciunt in fluminis undas,
Strangulet exoſam glomerato ut gurgite vocem.
Hoc tamen excipiens cantus modulamina, curſum
Continuit: ſtetit attonitum! Caput ore videres
Spiranti canere Eurydicen, animámque perire
Ante ſonum: extincto jam non erat halitus oris,
Nomen adhuc, & murmur erat: jam mortuus ibat

Muneribus vitæ, non mortuus ibat Amori.

SCENA DECIMAQVARTA.

ECce autem verſâ ſubitò ſe fronte theatrum
Mutat agens Cœlum. Quanto ſe lucis honore
Candit! ut illuſtri ſcintillant ſidera cœtu!
Flammantúrque ignes! Sol aureus emicat, aſtris
Gratior, & patitur concordia fœdera lucis
Stelliferæ. Solita fulgent ſtatione Planetæ,
Lúnaque miratur radijs coeuntibus arcus
Impleri, totíſque micare nitoribus orbes.
Stare Deos videas, ſolijſque inſiſtere; Phœbi
Umbrantes radios, & circum ſe agmina fundi
Aligerum, & fervere melos: ſupereminet omnes
Juppiter, & pulchro diademate tempora cingit.
Prætendítque manu cinctam fulgentibus aſtris,
Et plectro ſtellante Lyram: quam cætibus addit
Sydereis. Orphei fuerat quæ gloria quondam,
Nunc decus aſtrorum: tali dignatur honore
Iuppiter, & dulci modulatur carmina voce.
Hæc tandem documenta dedit. Quicumque ſaluti
Æternæ invigilat, ſtudeat virtutibus: aſtra
Suſpiret, vitétque dolos, & dulcia temnat
Furta, voluptati ſe ſubtrahat; illa requirat
Gaudia, quæ Cœlo, nunquam interitura, manebunt.
Hic finis. Magno ſpectantum murmure plauſus
Inſequitur: rumpunt indicta ſilentia linguæ,
Erudiere oculi vocem: quæ quiſque videbat,
Attonitus loquitur. Pars Orphea tollit in aſtra,

Pars dolet Eurydicen, Erebi pars altera Regem
Arguit. Ille Iovem commendat. Apollinis alter
Dicta notat, Veneríſque dolos. Pars maxima laudat
Mirandas operum moles, faciéſque theatri
Exhibitas, verſáſque occulto pondere frontes.
Italicas artes, Latiúmque ad ſidera tollunt
Ingenium, & numeros fidium, & diſcrimina vocum.
Viſa, audita placent; ſed viſa, audita referre
Verba negant. Fictam ſuperat res acta poeſim.
Hoc Mazarinus, Regum tibi Maxime, Princeps
Purpureus ſacravit opus. Qui Regna paravit,
Qui peperit lauros: modo gaudia luſit, & annis
Ludicra conceſſit puerilibus; arma daturus
Ante Togam. Prætexta tibi Palmata Triumphos
Induit. Erudijt teneras Victoria cunas
Orbis ad arbitrium. Suſpendes prælia nutu,
Bella manu, pacémque geres. Regina Potentem
Conſilio, Pietate, Animo, Virtute juvabit.
Aſpiciétque tuis ſubjectum legibus Orbem.
Tu facito, Rex Magne, tuo ſe temperet aſtro
Mazarina manus, Regníque inſiſtat habenis.
Fortunata manus, cui ſidera fauſta ſecundos
Bellorum eventus, & in Orbem jura dederunt.

QVESTVS IN FORTVNAM.

HEu! quid ego crudelem, & adhuc ſævire parantem
Fortunam incuſem! multo graviora querelis
Vulnera ſunt illata meis, nec ſurgere in iras
Imparibus fas eſt odijs; immanior illa eſt,
Quàm dici, fingive queat: frænare dolores,
Et lachrymas ſatius, ne, ſi me audire dolentem
Accidat, inſultet miſero, lachrymiſque triumphet
Improba, deque meo firmet ſibi gaudia luctu.
Mecum ergo mea damna querar; ſpectacula fingam
Ipſe mihi miſeranda mei: mirabere quiſquis
Iſta legis, licet infenſus, licet hoſtis, amicas
Impendes lachrymas; quanquam tua pectora ferrum
Occupet, & duro rigeas de pumice ſaxum.
Hei mihi qualis eram! quali me perculit ictu
Fatorum rabies! modò quem per ſumma volantem
Culmina viderunt populi, ſtrepituque faventum

Attollens

Attollentem animos, & ſidera voce ſequentem:
Heu jaceo in tenebris, in luctu, in ſordibus, alto
Pulvere demerſus, ſpectrum miſerabile! torpent
Ora ſitu, dira illuvies, immiſſaque barba,
Inculti crines, canis properata ſenectus,
Horribilis macies, ſpecies deformis, & umbræ
Nocturnæ horrentis facies! periere ruinæ
In me etiam (proh fata!) mei: nec pulvere tanto
Eſt campus, quo Troia fuit! quis crederet in me
Sæviri tantùm potuiſſe? paremque furori
Eſſe locum tanto? adjecti ſunt ictibus ictus,
Vulnera vulneribus cumulata; nec ullus ab ictu
Tam vacuus locus eſt, ut non prior occupet alter
Venturum, excludatque novum; venere recentes
In plagas veteres plagæ: non ulla dolendi
Eſt requies, aliis alii incubuere dolores.
Ecce aliud vulnus miſero; nam non ego ſenſim,
Perque gradus cecidi, ruerem quo mollius; alto
Culmine me ſubito traxit fortuna rotatu
Præcipiti, affixitque ſolo; nec me ante ruentem
Senſi, quàm ſonitu agnovi ſtridente ruinam.
Hic ego vos chari, ſi qui ſupereſtis, amici;
Vos ſaltem, vos diſcipuli, quibus optima linguæ,
Et vitæ documenta dedi, precor addite noſtris
Vulneribus lachrymas: noſtri ò miſereſcite! nam me
Dura manus Domini tetigit, gladióque ſubegit
Fulmineo, dextrâ cùm fulminat ille rubente.
Heu gravius Iobo tetigit! nec enim abſtulit illi
Lumina, & in tantis oculos extinguere pænis
Non tulit hoſtilem rabiem: mihi lumina famæ
Sunt extincta meæ, ſolidámque infamia lucem
Abſtulit, atque animam dura in caligine merſit.

Iobo ſævitum non ultra eſt corpus, & hoſti
Præceptum ſervare animam: diſcrimine nullo
In me ſævitum; corpuſque, animamque furenti
Fortuna objecit, quæ tot mihi damna paravit.
Quantus eram didici patiendo: vivite jam nunc
Mortales noſtro ſecuri vulnere: non eſt,
Fortuna unde queat capere inſtrumenta nocendi.
Ars in me, virtuſque omnis conſumpta, fatetur
Ipſa ſibi exhauſtas vires; laſſata recedit
Cædendo, trahit ægram animam, ſuſpirat, anhelat.
Non ego, cur tantum licuit, querar: at querar illud,
Cur tantum potuit? durare in vulnera tantum
Cur mihi poſſe datum? Tytio par corda novavi
Ad pænas, vixique adeo ſuper unus in omnes,
Et vivo, pudet heu! quid enim vixiſſe juvabit
Infamemque, reumque? oculis nox atra pudoris
Incubat; heu tædet lucis! mortem eſſe malorum
Nec mihi jam quiſquam ſummum perſuaſerit; ultra eſt,
Quod patior, mortem! O utinam diſpendia famæ
Poſſem emere! haud unâ contentus morte fuiſſem.
Mallem ſæpe mori, pretiumque hoc vile putarem:
Hoc adeo torquet magis, & magis intima rodit
Viſcera, quòd valeo mente, & vis integra reſtat
Iudicij, ut videam, ut doleam mea vulnera; ſenſus
Acer ineſt, creſcitque malis. Quæ ſigna doloris,
Si quis noſſe cupis, fuerint; quòd tardior eſſe
Nunc primùm volui, quo vel minus ipſe dolerem.

BEATÆ

BEATÆ MAGDALENÆ VITA IN MASSILIA EXVLANTIS.

Ingreſſus in inſulam.

ELEG. I.

SOlvere mẽs agitat diverſa per æquora puppim,
Et dare, cæleſtis quò vocat aura, ſinus.
Liberior curis ſtatuit peregrina vagari:
Carceris impatiens, vincla reſolvit amor.
Littora Maſſiliæ, quæ Magdalis hoſpita ſervat,
Nótaque Cælitibus prendere tecta libet.
Commutare juvat pretioſo in littore merces;
Hîc pariter ſiam venditor ipſe mei.
Exercere ſimul commercia pulchra licebit;
Si datur, ah! quanti fænoris emptor ero!

Dicite vos rupes, vos ſaxa alliſa querelis,
Dicite quæ veſtro condidit aura ſinu.
Dicite vos Nymphæ gens uda, & gloria ponti;
Quæque tenes liquidas Oceanitis aquas.
Promite cæruleis arcana recondita tectis,
Et quas ſub vitrea ſede tenetis opes.
In pretium lachrymas, animúmque, & corda rependam;
Ora tamen pretijs ne ſit avara meis.
Sin minus, hoſpitio ne me prohibete: negari
Hoſpitibus nunquam littus & unda ſolet.
Egredior, juvat ire locos, & aperta videre
Tecta oculis, animum quæ rapuere meum.
Ah! liceat primæ mille oſcula figere terræ,
Oſcula, quæ taciti pignora cordis erunt.
Ah terra! aut potius non terra, Colonia Cœli!
Inſula ſidereis conſita delicijs!
Teque, tuoſque ſimul jubeo ſalvere penates;
Salvete ò vitæ gaudia prima meæ.
Vos ego procumbens genibus reverenter adoro;
Hac date ſupremum claudere ſede diem.
Vos igitur fluctus, vada cæca, & littora teſtor;
Et vos fallaci condita ſaxa ſinu.
Mergite, ne redeam, ſub gurgite, mergite puppim!
Actum eſt; è portu non rediturus eo.
Hæccine Divinæ ſunt Magdalis hoſpita tecta?
Hæccine ſunt charæ littora Maſſiliæ?
O tecta! ò rupes! ò gemmea littora! ponti
Gloria, terrarum fama, Tonantis amor!
Hæccine; quæ bibulæ veſtigia fixit arenæ?
Hæ plantæ, hæc nivei ſigna relicta pedis?
O plantæ! ò claris veſtigia nata coronis!
Sidera ſublimi tundere digna gradu.

Vos

Vos ego per montes, perque invia ſaxa requiram,
O animo potius ſigna notanda meo!
Stat luſtrare oculis, nec me via fallet euntem;
Dux erit illa oculis, quæ via trita, meis.
Ad ſuperos ferar; & quoniam via lactea Cœlo eſt,
Stellato his plantis tramite curſus erit.

RVPIS MARITIMÆ, ET MAGdalenæ apud illam deſcriptio.

ELEG. II.

EN medijs rupes caput altior erigit undis,
Atque reluctantes mole refringit aquas.
Perſtat obex pelagi: nunc ſibilat aura cavernis;
Nunc alliſa cavum verberat unda latus.
Largior æquoreas patet hinc proſpectus in undas:
Undique luminibus terminus omnis abeſt.
Fallor? an inde meas vox conſona fertur ad aures?
Viſa repercuſſu dicere lympha, veni.
Num vocat in ſcopulum, quo Magdalis ante ſolebat
Plorare ad ſonitum percutientis aquæ?
Si vocat, ire juvat: quoniam latet invius undis,
Saxa mihi pontem continuata dabunt.
Hîc lachrymans traxit Siren Cæleſtis Olympum,
Cælicolûm precibus flectere docta choros.
Hîc velut Alcedo tenuit freta concita queſtu,
Hic Alcedonios rettulit illa dies.
Præbuit hinc nautis Lunæ Pharus æmula flammas,
Cum nocturna ſuâ condidit aſtra face.

 Intulit

Intulit hinc merces Cœli velut inſtitor aſtris,
Obſtrinxítque ſuis ſidera nominibus.
Hos inter ſcopulos, medijsve in fluctibus aras
Viſa fuit tumidi Numen habere maris.
Ah! quoties illam Thetis invidia vidit ab undis,
Expallens Dominam dum timet Oceani.
Illi victa caput mòx ſubdidit Amphitrite;
Subdidit invitum Doris amara caput.
Et vos uda cohors Nymphæ Oceanitides illi
Optaſtis liquidi tradere jura maris.
Ipſa novæ blandita Deæ gens ſquamea ponti
Feſtivos duxit per freta longa choros.
Luſit in æquoreis Neptunus amabilis undis
Componens vitrei pulchra theatra vadi.
Mavortis ſimulachra leves finxere procellæ,
Ceu conjurarent rupis in obſidium.
Hinc Notus, hinc fluctus vehementior impulit Eurus
In rupem, adverſo junctus uterque polo.
Viſa procul magnis conſurgere montibus unda,
Rupis & alliſa frangere mole latus.
Qualia continuo quatiuntur mœnia pulſu,
Fractaque ſulphureo pulvere ſaxa volant.
Cedere viſa dehinc, lentóque recedere paſſu;
Nunc inferre pedem, nunc ſimulare fugam.
Et tandem niveis mille oſcula figere plantis,
Blandaque divinæ vincla ſubire manus.
Ah! quoties oblita cibi, dum rupe moratur,
In niveas piſces inſiluere manus.
Non hamus, non eſca fuit, non retia prædæ
Iecit, at injecit retia luminibus.
Ah! quoties lachrymans alto de vertice ſaxi
Ditavit largis littora divitijs.

Excepe-

Excepere cavis lachrymas conchylia conchis,
Et patulo gemmas ore bibere novas.
Abjecere onyches ſimul, & ſimul oſtrea gemmas;
Reſpuit & pretium conchea bacca ſuum.
Hoc pretio rupem, ſcopuloſaque tecta pependit;
Indignum tanti conſtitit hoſpitium.
En mare creſcenti paulatim allabitur æſtu;
Largiùs in ripas exonerantur aquæ.
Non licet ulterius pretioſa in ſede morari;
Unda domicilium laudis avara negat.
Summa tenent ſcopuli reduces in littora fluctus,
Figere dum plantis oſcula chara ſolent.
Diſcedo invitus, voſque aurea ſidera teſtor,
Me non optato cedere ſponte loco.
Accuſare licet tanto de crimine fluctus;
Vis illata mihi eſt, littore pulſus agor.
Digrediar; tamen ante, loci quàm jura relinquam,
Ah! liceat ſummum reddere voce vale.
Vos igitur ſcopuli, voſque hoſpita ſaxa valete;
Et vos ſidereis littora nota choris.
Tuque vale ò rupes Cœlo contermina, cordis
Hoſpitium, noſtris ara relicta malis.
Dum tibi curva latus pulſaverit unda, manebis
Ad vivum vivis reddita corde notis.

FLVMEN MASSILIÆ, ET MAGdalenæ navigatio crebra.

ELEG. III.

Non procul ad lævam ſe fluminis oſtia pandunt;
Quâ vitreas ſalſo gurgite miſcet aquas.
Inter olorinos placido fluit agmine cantus,
Unde ſibi ductum nomen Oloris habet.
Clauditur arboribus, ridentibus undique ripis,
Prataque graminei marginis umbra tegit.
Deſuper implicitæ nectunt umbracula frondes,
Atque datâ firmant fœdera pulchra manu.
Hîc nemus attonitum ſpeculari comitur undâ,
Et frondere aliud credit in amne nemus.
Hîc ſibi de viſa blanditur imagine, formam
Admirans; & ſe dum videt intus amat.
Cumque movet frondes venientis ſibilus Auſtri,
Conciliant dulcem ventus & unda ſonum,
Pomaque ventoſo quatiuntur pendula pulſu,
Et tenui referunt aëre mota choros.
Qui recidunt lymphis nectunt diademata flores;
Ipſe coronato profluit amne liquor.
Mille coloratis volucres ſpectacula pennis
Efficiunt; leni picta theatra vado.
Partitáſque vices recto modulamine ſervant;
Hæc gravis, hæc ſumma eſt, plenior illa ſonat.
Ripa capillatur pubentis imagine frondis,
Surgentéſque toros herba reclivis agit.

In

In flores ſtellatur humus: ſtant ſidera prato:
Floreus in pugnam provocat aſtra nitor.
Ipſa nemus digitis viſa eſt pinxiſſe voluptas;
Prodiga naturæ luſit in arte manus.
Hic fortunatæ retinens commercia ripæ,
Molliter ambiguo defluit unda vado.
Implicat erranti ſinuoſa volumina flexu;
Hæret, & incerto vix patet amne via.
Defluit, & refluit; dubias fugit unda per undas:
Alter in implicitis eſt Labyrinthus aquis.
Labitur, & ſtringens inopina crepidinis oram,
Ad pulſum citharæ conſona murmur agit.
Gurgitis auriferis radiat theſaurus arenis:
Luxuriant nitidis gemmea prata vadis.
Linqueret Eoi commercia linqueret Orbis,
Si fluvij clauſas ſciret avarus opes.
Hic habitant proceres, maioraque Numina Ponti;
Hæc eſt Regalis Curia Naïadum.
Crediderim, Cœlo ſi mollia flumina currunt,
His vaga perfundi ſidera fluminibus.

PHASELI PVLCHRA deſcriptio.

ELEG. IV.

FAllor? an aſpicio viridanti in gurgite lyntrem?
Quem tegit umbriferis populus alba comis?
Pendulus hæret aquis, viridi ſtatione tenetur;
Molliter ad truncum ſerica vincla ligant.

Magdalis hic prono ſe flumine vecta phaſelo
Detulit, attonitis non grave pondus aquis.
Hic æſtiva levis captavit frigora venti,
Traxit & hamatis flumen arundinibus.
Rarum opus! ingenij ſurgit maioris imago:
Exprimit Aligerum lynter, & arma manus.
Cedrina materies laterum tabulata coronat:
Ex Ebeno ſulcat facta carina vadum.
Pars prior aurato conſurgit eburnea roſtro;
Aurea poſterior ſideris inſtar habet.
Inductis tabulata parant opobalſama cruſtis:
Pro clavis adamas firmat inerme latus.
Hinc, inde excurrunt fabricata ſedilia gemmis;
Aurea cælatis ſunt aſarota foris.
Surgit in aerium frondens colocaſia malum;
Auri fulva nitent lintea bracteolis.
Aurea fila plicant, & byſſina vincula funes;
Extrahit immiſſum gemma cavata vadum.
Efficiunt geminos palmarum brachia remos;
Palmata in medijs cymba triumphat aquis.
Stant pone electri facilis moderamina clavi,
Facta nitet liquidis anchora coralijs.
Lucida Cryſtalli ſurgit pharus æmula Lunæ,
Sidereas vincens clarior una faces.
Aurea vexilli ſinuantur ſuppara vento,
Atque notant dominum ſtemmata picta ſuum,
Nil moror, accedam propius, licet ire, tueri
Omnia, ſi liceat, navita lyntris ero.
Sed quid ego aſpicio? ſunt ne hæc tua Magdalis ora?
An ne oculi ſingunt, quod ſibi finxit amor?
Non fallor; dulci nam Magdalis hæret IESV;
Ecce adhibent cordi brachia nexa crucem.

Magda-

Magdalis internum teſtatur littera nomen,
Nil extra, amplexu hoc omnia claudo meo.
O compar titulo lynter! titulúſque viciſſim
Par lyntri! ò pretio dignus uterque ſuo!
Nunc igitur magni ſileat ratis aurea Xerxis;
Argoi ſileat gloria prima maris.
Victa tibi palmam dat navis eburna Neronis.
Et Caij cedunt florea prata ratis.
Et quâ purpureis Venus illa Ægyptia velis
Stravit aquas, fictis cincta Cupidinibus:
Dum ferit ad numeros argentea palmula fluctus;
Pulſaque concordi concinit unda lyræ.
Nereidum quamvis regeret turba uda rudentes,
Præſtaréntque novi munia remigij.
Una omnes ſuperat, ſtellas ceu Luna minores;
Orbis delicium Magdala puppis erit.
Non hic Nereides, fictíve Cupidinis arcus,
Quoſque Duci gratos texuit illa dolos.
Nautica Cæleſtes ſubeunt ad munia cætus,
Armaque certatim tangere navis amant.
Partitique vices certa ſtatione reſidunt:
Hic clavum, hic remos, tractat at ille ſinus.
Nec citharæ ſonitus, nec palmula conſita verſu
Defuit, aut facili mitior aura viæ.
Deſuper Aligerûm numeroſa accincta corona
Magdalis attonitas obſtupefecit aquas.
Hinc, inde alarum finxere umbracula pennis,
Ne caput opprimeret, Sole vigente, calor.
Ibat, & hoc habitu dedit in ſpectacula nymphas,
Et rarum obſtupuit lucida turba decus.
Ah! quoties illi, dum fluminis alta ſecaret,
Subdola feſtivas nexuit unda moras.

 Quo

Quo tardaret iter, fugit vagus amnis in orbes,
Atque ſuis fallax retia fecit aquis.
O mihi ſidereum ſi fas conſcendere lyntrem!
Et dare felici lintea fulva Noto!
Irem oculis, irémque animis poſt lumina, quâ ſe
Detulit umbrifero Magdalis alma vado.
Conſulerem nymphas, arcánaque numina ripæ;
Mille darent cordi ſigna notanda meo.

RIPÆ CONSIDERATIO, ET arboribus carmina inciſa.

ELEG. V.

AH! furor, heu! quid ago? cui tantum audere licebit.
Non alios patitur Magdala cymba pedes.
Seu juvat ire, pedes gradiar; quíque oſtia vidi
Fluminis, hac ſtatuo mente videre caput.
Dum gradior, ripæ paſſúque, oculíſque legentur:
Mira oculis Cœlo dignior ora dabit.
Fallor? an implexis religatur vitibus ulmus?
Et tenui inſcriptum cortice carmen habet?
Cernitur inciſus, fallunt niſi lumina, truncus,
Atque refert dubias ducta figura notas.
Hæc manus Aligerum eſt? an Magdalis? iſta videtur:
Spirat adhuc talem littera tracta manum.
Ceu ſolet aeria requieſcere vitis in ulmo;
In te Chriſte meus ſic requieſcit amor.
O manus! ò carmen! ſententia digna beatis!
Non ulmo, at potiùs verba notanda cedro!

Vive

Vive precor largos, ulme inclyta, vive per annos;
Vivus ut in lævi cortice vivat amor.
Propter aquam, nemoris quâ denſa cacumina ſurgunt,
Motaque perpetuò ventilat aura comas;
Lenta ſalix ævo jam grandior imminet undis,
Arbor Amadryadum Principe digna domus.
Hîc lachrymis ſedes, hîc aptior umbra querelis:
Miſcuit hîc fluctus amnis, amórque ſuos.
Dum gemeret trunco incumbens, duo carmina fixit,
Sæpe interruptâ voce, cadente manu:
Fletus, amara ſalix, te ſulcat amarior; at tu,
Si mea reddideris germina, dulcis eris.
O lachrymæ dulces! O fænora dulcia fletus!
O tandem ſalicis dulcis amarities!
O ego! ſi poſſent transferri in pectora plantæ,
Conſita corde ſalix jam foret iſta meo.
En, ubi populeus caput altiùs extulit ordo,
Dat viridem ſeries continuata viam,
Huc vocor, huc lenis me ſpiritus incitat auræ;
Populus inclinans, annuit ire, comas.
Hinc, atque hinc avidos capiunt emblemata viſus,
Addita picturæ carmina ſenſa notant.
Abjicit hinc arcum, pharetræque inſigne Cupido;
Dum cadit, eſt alter victor Amoris Amor.
Nunc redit extremo Phænix redivivus ab igne;
Sanguinis in fluctus nunc Pelicanus abit.
Nunc cita ſublimes fertur Iovis ales in auras;
Ad Solem natos nunc generoſa probat.
Parte alia Chriſti pulcherrima facta notantur;
Quæque manus trunco, pectore ſcripſit amor.
Hic præſepe, fugam, reditum, miracula finxit;
Hic tonat; hîc patitur, ſurgit, in aſtra volat.

Hæc repetens animo vitæ monumenta, ſolebat
Sæpius optatas ire, redire vias.
Sic decuit, terris quæ vixerat æmula Cælo,
Ordine Cæleſti lactis haberet iter.
O virtutis iter, Cæli via certa, valeto;
Da ſuperam rectis greſſibus ire plagam.
Siccine digrediar? nec carmina ſcripta legentur?
O ſaltem extremi corticis illa legam.
Creſcite vos trunci, cælátaque nomina truncis;
Et pariter creſcat littera, creſcat amor.
O mea ſi furtim ſubſcribere carmina poſſem,
Tota darem veſtris pectora corticibus.
At quoniam calamum prohibet reverentia Divæ,
Nec mea ſunt tanto carmina digna loco;
Ah! liceat ſaltem veſtris dare nomina libris,
Hæc maneat cordis nuntia charta mei.
Sit liber inciſus, vitæ liber; una ſalutis
Spes erit, hoc noſtrum nomen araſſe libro.

FONS AMÆNISSIMVS MAGDA-lenæ æſtiva habitatio.

ELEG. VI.

HInc patet egreſſus, quâ denſior umbra ſalicti eſt,
Nataque pumiceo pullulat unda ſinu.
Hoc caput eſt fluvij, ſacrata hæc fontis origo:
Hæc ſunt Cygnæi murmura prima vadi.
Apta domus fluvio: rupes tenuatur in arcum;
Undique frondoſo tegmine clauſa latet.

Intus marmoreo ſtant viva ſedilia ſaxo,
Aptaque nectendis ſaxea fulcra toris.
Hæc venatrices habuere cubilia nymphæ,
Cùm gravis errantes egit in antra calor.
Huc compulſa fugam fraterno ardore tenebat,
Cum premeret curſu feſſa Diana feras.
Hic arcum abjiciens lapidoſo in margine ſedit,
Pronaque ſudanti lavit ab ore notas.
Attamen his poſtquam ſe Magdalis intulit oris,
Dicitur aſſuetam deſeruiſſe domum.
Erubuit vultus oſtendere Luna minores,
Sub maiore timens ſidere deliquium.
Hinc oriens leni devolvitur agmine flumen,
Et ſibi de tanto fontis honore placet.
Non ita tergemina ſe jactat origine Nilus,
Quoſque tulit gravido terra beata ſinu.
It minor, auriferis quanquam Pactolus arenis,
Turbidior ſolito devehit Hermus aquam.
Pallidus invidiâ ſpernit ſua cornua Ganges;
Errat in attonito decolor unda Tago.
Si foret Alpheo fons notior iſte, rediret;
Curreret ad fontes non, Arethuſa, tuos.
Et niſi certa fides oculis adhibenda vetaret,
Credere par Cœlo ducere principium.
Hic vitrei plenâ ſaliunt ſcaturigine rivi;
Eruta furtivo tramite lympha ſalit.
Hinc modò, ceu tubulis foret excita, verberat auras;
Atque inſtar tenuis rorida nubis abit.
Hinc modò per ſcabræ ſtillata foramina rupis
Deſuper in lachrymas unda ſoluta cadit.
Solvitur in fletus, alliſaque gutta gementi
Percutit ad numerum concava ſaxa tono.

Utque ſuo quondam lachrymavat Magdalis antro;
Edoctæ in lachrymas ſic lachrymantur aquæ.
Criſpatur Veneris rupes crinita capillis;
Quæ cadit ex alto lympha, liquata cadit.
Mira fides! pluvius quid nubila jactat Olympus?
Hic etiam rigidus ſolvitur imbre lapis.
Et, ne rara novo deſint ſpectacula fonti,
Terribiles fundunt ore fluenta feræ.
Hinc premit Alcides Nemeæi terga Leonis,
Oppreſſuſque Leo pondere vibrat aquas.
Theſeus hinc vellit Marathonis cornua Tauri;
Stat gemino penſans cornua fonte caput.
Inde vehens equitem, ſe Pegaſus alite pennâ
Tollit, & allato pullulat unda pede.
Inde ferox Python, Phœbi malè perditus arcu,
Figitur, èque ſuo vulnere flumen agit.
Spirat adhuc facies, vivúntque in marmore vultus;
Tantus in expreſſa ſtat feritate vigor!

HORTVLI MAGDALENÆ juxta fontem deſcriptio.

ELEG. VII.

IN medio, rupes quà largior excipit auras,
Conſitus irriguis innatat hortus aquis.
Hunc natura ſerens artis miracula luſit,
Atque operi comitem nexuit invidiam.
Inſita felici mandantur oluſcula terræ:
Hîc cicer, hîc betæ, braſſica, malva, rumex.

Parte

Parte alia irriguos potant viridaria ſontes;
Miſta nitent violis lilia, caltha, roſæ.
Indita pulvinis faciunt incilia ſulcos,
Queis liquor in parvas mittitur areolas.
Hic olera ordinibus crebrò partita rigantur,
Certaque, ne noceat copia, lympha fluit.
Magdalis iſtud opus, ſtudiúmque, & dulce levamen;
Hoc intermiſit docta labore preces.
Ipſa manu ſervit, miſitque incilibus undas:
Sic coluit, cultrix ceu foret illa loci.
Utque olim Dominus fuerat ſibi viſus in horto
Ruſticus, hortenſi ruſtica facta loco eſt.
Hic penus, hæc amplis habuit granaria cellis;
Hæc erat ad tenues ſedula cura dapes.
Hinc tulit abſenti (ſi fortè excederet antro)
Aligerúm ſolitos turba beata cibos.
Seu foret ad littus, ſeu marmoris alta teneret,
Ibat in æquoreas lynter onuſtus aquas.
Hic olus, hic tenuis jejuna obſonia victus;
Hæc fortunatæ pondera mercis erant.
Excepere ſuam lapidoſa ſedilia menſam,
Atque unus victum fons dedit, unus aquam.
In pretium menſæ lachrymarum flumina liquit,
Queis interruptas miſcuit illa preces.
Auxit aquas lachrymis, fons inde ſuperbior auctus
Conciliat potu fænora magna ſuo.
Quin etiam vitreo ſurgunt qui margine flores,
Magdalis è lachrymis proſiluiſſe ferunt.
Gutta cadens flores peperit, mirátaque formam,
Cùm verſa in florem eſt quæ fuit ante liquor.
Quid? Phaetontiades lachrymis electra novarunt?
Magdalis & lachrymis florea prata novat.

Sic

Sic molles violæ, ſic purpurei Narciſſi;
Sic gemmata virent lilia lachrymulis.
Ne referas pictam pubenti in caule figuram;
Neve tuas jactes hic Hyacinthe notas.
Magdalis inſcripti naſcuntur nomina flores;
Queis nitet in tenui ſcripta figura comâ.
O rupem! ò flores! ò dulcia germina fontis!
O domus aſtriferis creſcere digna locis!
Tempus erit, tua cùm metuens encomia famæ,
In ſua te rapiat lividus aſtra Polus.

ITER PER MONTES, QVÆSItum antrum Magdalenæ habitaculum.

ELEG. VIII.

Hinc itèr in ſylvas, deſértaque culmina montis,
Quò mea jam dudum lumina, vertit amor:
Stat luſtrare nemus, totóque incedere ſaltu;
Errabo, erranti gratus at error erit.
Hic poſt chara meæ veſtigia Magdalis ibo,
Hæc teſtudineos neſcit in aſtra gradus.
Tecta peregrinæ deſerta per avia quæram,
Quæ modo terrenum reddidit illa Polum.
Hæc poſtrema dabunt oculis ſpectacula vitæ,
Atque viæ; rupes hæc mihi finis erit.
En, ubi clivòſo ſe tramite luſtra recondunt,
Altior attollit collis in aſtra caput.
Hujus in aerio Crux lignea culmine frondet,
Amplexúſque vocant brachia tenſa meos.

O dulce

O dulce augurium! dux ò mihi certa viarum!
Hæc erit in trivijs vera Diana meis.
Accipe, dáque fidem, da brachia nectere trunco;
Hæc mihi ſint rectæ pignora certa viæ.
Hæc pepigit tecum mihi fœdera Magdalis olim,
Cùm ſtetit amplexu pendula tota tuo.
Antra petunt oculi, ſtat liber in omnia viſus:
Si videam, liber quàm mihi viſus erit!
Nonne ego ſuſpicio motare cacumina frondes?
Vocaleſque Notum ſollicitare comas?
Inclamare nemus, rupéſque, & ſaxa videntur;
Humanos referunt murmura rauca ſonos.
Quid tamen inde ſonat? geminat vox illa querellas;
Ad gemitum querula concinit arte modus.
En canit: accipio verba imperfecta gementis:
Magdalis ah refugis? Magdalis alma veni.
Hæc vox ſumma refert: mox cætera turba remittit
Hæc graviore ſono: Magdalis alma veni.
O dolor! abſentem lachrymoſa ſilentia lugent!
Pronior in queſtum ſuggerit ora dolor.
Magdalis æthereas poſtquam volitavit in arces,
Hæc nemus, hæc ſylvas ingemuiſſe ferunt.
Errat, & in partes vox ſedula funditur omnes:
Per mare, per littus, per vaga luſtra vocat.
Me precor ò comitem veſtris adhibete querelis;
Vos dolor in queſtum, me meus urget amor.
Magdalis heu lachrymis cauſa eſt; vos quærite vivam;
Aſt mihi defunctæ ſigna relicta ſatis.
Vos igitur, quoniam docet experientia, luctus
Dicite, quo lateant Magdalis antra ſinu.
Sic Deus abſentem duplicato fænore reddat,
Et ſinat amplexu liberiore frui.

Dicite,

Dicite, dum quæro lachrymoſa per avia, rupes;
Doctaque vocales fingere ſaxa ſonos.
Quid moror? adverſis ſtant lumina pendula ſaxis;
Mens ſtupet attonitis pendula luminibus.
Allicior ſenſim, trahor huc, novus incitat ardor:
Permeat occultus præſcia corda vigor.
Quis trahit? anne aliquis rapuit mea pectora Magnes?
Anne ſideritem ſcrupea tecta tenent?
Quid? ſi oculos, animúmque rapit domus illa, theatrum
Magdalis, hoſpitium Numinis, ara Poli?
Salve optata domus Cælo æmula, cura Tonantis;
Tu mihi jactato portus amoris eris.
Te licuit tandem fugientem prendere curſu;
Amplexu teneam, ne rapiare, meo.
Da faciles aditus, da pervia lumina cordi;
Nam tua ſunt plantis tecta terenda meis.

RVPIS, ET ANTRI MAGDALEnæ conſideratio.

ELEG. IX.

QUà gemini ſurgunt fraterna in fædera montes;
Atque pari certant aſtra tenere jugo:
Lata jacet vallis, nemorum ſtipata receſſu;
Excipitur molli collis uterque ſinu.
Hinc, atque hinc rupes, abrúptaque ſaxa minantur:
Cuncta vel umbroſâ nocte ſepulta ſilent.
In latus excurrit ſcopulis pendentibus antrum;
Hic latet in viva rupe cavata domus.

Ante

Ante fores ſurgunt feralia ſigna cupreſſi;
Deſuper intentant pendula ſaxa necem.
Volvitur in præceps alto de vertice torrens;
Rupibus alliſas murmure frangit aquas.
Fit ſtrepitus, traherent ceu ſaxa voluta ruinam;
Perlita ſanguineo lympha colore fluit.
Horror ubique animum, ſimul ipſa ſilentia terrent;
Detinet, ac propius vix ſinit ire metus.
Credo equidem tantæ cogit reverentia Divæ;
Divinum ſpirant hæc monumenta decus.
Attamen ingrediar curvato poplite limen,
Ore legam, trepido pone legenda pede.
O lapis! ò limen! quod limina pandis Olympi!
Oſcula, quæ figo, pignora cordis habe.
En caput inclino, ſed me mea fata repellunt:
Limina ter ſcando, terque repulſus agor.
Anne minax ferro cuſtodiet Aliger antrum?
Iam novus in terris hic Paradiſus adeſt?
Da, precor, hanc veniam lachrymis ſi flecteris ullis;
Molleſcant lachrymis marmora dura meis.
Ecce patent portæ, reſolutaque limina fletu,
Ignea tormento ceu pila jacta foret.
Hæccine (vix repeto) charæ penetralia rupis?
Hæc deſiderij meta ſuprema mei eſt?
O fortunati felicia penſa laboris!
O reditus felix! fænora pulchra viæ!
Ingrediar, pronúſque ruam; via facta petenti eſt;
Quà muſcoſa patet ſemita pumicibus.
Iungitur in cameram viridi teſtudine fornix;
Vix patitur dubium pergula clauſa diem.
In caput exſudat cryſtallina gutta lapillis,
Nec rudis ad lachrymas lumina flere docet.

Hic patet è lachrymis anguſtus ad intima trames,
Qualis & ad ſuperos fertur abire via.
Intrantem excipiunt pendentia rupe trophæa:
Tartareo rutilant arma timenda duci.
Hic villoſa rigent tunicata volumina ſettis,
Ultricique rubent mota flagella manu.
Tracta ſonant membris quæ ferrea vincla ligarat,
Eſt propè, qui tutudit pectora nuda, lapis.
Roma triumphales mittat procul invida poſtes;
Auguſti ſileant parta trophæa fores.
Non hic ventoſi tituli, nec inania famæ
Præmia, nec vano Marte ſuperbit honor.
Dulces exuviæ, Divini præda triumphi
Ferte animam, ut veſtræ ſit nova præda manus.
En ſpelunca patet, curvúmque recedit in antrum,
Pumiceos laxans rupe cavata ſinus.
Frondibus inſertis frondeſcere ſaxa videntur;
Paulatim in lapides creditur ire nemus.
Hinc gravidis fœtum redimitur vitibus antrum,
Turget pampineis penſilis uva comis.
Hinc hedera irrepit, furtívaque brachia fundit,
Inque pedes rupem tota ſoluta ligat.
Excita fornicibus geminatur vocibus Echo,
Dumque abit in gemitum, vox ciet una duos.
At domus interior, ſacri penetralia templi,
Me rapit, & charum cogit inire ſinum.
Hic extremus erit Divini funeris actus;
Dignior, heu! fletu ſcena ſuprema meo eſt.

LOCO-

LOCORUM PRIVATA conſideratio.

ELEG. X.

HIc ubi reclivi curvatur margine rupes,
Et capiti præſtat ſaxea fulchra lapis:
Hic ſopor irrepſit ſenſim delapſus ocellis;
Hæc habuit mollis ſtrata benigna tori.
Hic ſæpe ingenitum poſuiſtis ſaxa rigorem,
Dum feſſum excipitis cerea facta caput.
Sæpius Aligeri, cùm jam ſopor altus haberet,
Sidereas furtim ſuppoſuere manus.
Hæc precibus ſedes fuerat, locus ille querellis;
Hic duro attrivit marmora dura genu.
Quos tulit hinc gemitus? quas jecit in aſtra ſagittas?
Quæ dedit æthereo verba notanda libro?
Hæſit in amplexu pendentis ab arbore Chriſti;
Cor cordi adjungens, lumina luminibus.
Oſcula vulneribus fixit repetita cruentis,
Pronaque ſanguineo lavit in amne ſcelus.
Crinibus implicitis fecit nova retia plantis,
Ne fugeret manibus præda petita ſuis.
Ante Crucem rigido terebravit pectora ſaxo,
Ceu medio cuperet corde cavare ſinum.
Scilicet, excidens ſibi vivo in corde ſepulchrum;
Viveret ut vivo mortuus ille loco.
Ah quoties animus, ſenſu fugiente, receſſit!
Et tenuit vinclis liber in aſtra fugam!

Ah quoties, vinclo non impediente, coronam
Cælicolûm facto duxit in aſtra jugo!
Nexa triumphalem referebant brachia currum,
Finxit & alatas penna citata rotas.
In medijs ibat cætu ſpecioſior omni,
Ceu ſolet in medijs Cynthia ſideribus.
Officioſa novum cupierùnt ſidera Numen;
Quodque ſuum prono ſubdidit ore caput.
Attoniti ceſſere data ſtatione planetæ;
Quiſque ſuum cedens obtulit hoſpitium.
Illa tamen calcans ſtellata volumina plantis,
Pennato in ſuperos ibat amore choros.
Hic ſuperûm riſus, Divínaque gaudia ſenſit;
Vidit & humana lege ſoluta Deum.
Non hoſpes, nec viſa fuit peregrina Beatis:
Cùm priùs in terris egerit illa Polum.
Hic caput inclinans jamjàm moritura reſedit;
Si mors, aut potius non ſopor ille fuit.
Fudit olorinam ſupremo in carmine vocem;
Quæ lachrymans vixit, concinit emoriens.
Aligerùm ſubijt parvum chorus omnis in antrum;
Defuit & vacuo curia tota Polo.
Hinc Virgo, hinc Chriſtus morientem utrinque levarunt,
Dum colla inflexum deſtituere caput.
Exhalans animam, lateri inclinata quievit;
Inque ſuam prono concidit ore Crucem.
Sic molles violæ, ſic languentes Hyacinthi,
Sic inciſa cadunt colla papaveribus.
Priſtinus ille decor, nativaque gratia formæ
Vixit; & à fato pulchrior illa fuit.
Spiritus à ſuperis raptus penetravit Olympum,
Lætaque plauſerunt aſtra latrocinio.

Ah rupes, nimiùm rupes! ah ſaxa fuiſtis
Saxea! cùm veſtras non tenuiſtis opes.
Quid tamen arguerim falſò de crimine ſaxa?
Heu! Polus eſt author criminis, ipſe reus!
Ille fuit prædo, qui furta peregit amoris;
Callidus ah tantum texit amore ſcelus!
O me ſi pariter raperet prædo ille per auras?
Non rapiet; prædæ conſcius ipſe ſuæ eſt.

MAGDALENÆ ſepulchrum.

ELEG. XI.

NE tamen ingrati ſubiiſſet crimen Olympus,
Extulit illuſtri funere relliquias.
Aere ſtant vacuo pendentia Mauſolæa,
Immortale decus, Cælicolûmque labor.
Hic poſiti cineres, hic Magdalis oſſa quieſcunt:
Incertum auguſto pondere nutat opus.
Sidera materiem contexta dedere ſepulcri,
Atque alio fulgent non minùs apta Polo.
Ipſa ego crediderim nimiùm blandita ſepultæ
Sidera, relliquiis quo propiora forent.
Excitat in tumulum ſtellantia plauſtra Bootes,
Atque triumphales ad juga cogit equos.
Fulchra feræ ſubeunt, quas gloria rettulit aſtris;
Eſt minor ad tantæ pondera molis Atlas.
Hinc Aries ſtellas aurato in vellere pandit;
Dulcius eſt Phryxo, quod modo jactat onus.

Fulget Amaltheæ facies pulcherrima Capræ:
Fulget, & in cornu copia maior adeſt.
Hinc Europæi palearia Sideris ardent;
Cauſa novi tantum ſurgit honoris onus.
Stat labor Alcidæ, nitidum Leo verſus in aſtrum:
Hic habet Aſtrææ ſidera clara ſuæ.
In caput è radijs nectit Sol ipſe coronam;
Par Ariadnææ gloria frontis adeſt.
Plenior appoſitis Luna ingerit oſcula plantis;
Magdalis hoc ſignum nobilitatis habet.
Deſuper attoniti, Venerémque, Helenámque ſequuntur
Lucifer, & Gemini, ſidera, Tyndarides.
Cingit utrinque latus cuſtodia digna ſepulchri;
Armata ad tumulum ſidera bella cient:
Stat mortem intentans ad vulnera pronus Orion,
Sidereas vibrans horridus inde faces.
Inde ſagittifero radiat Centaurus in arcu;
Excita Lunatis cornibus aſtra volant.
Rectus in arma ruit mutato ſidere Cancer,
Dentatíſque horrent brachia forcipibus.
Scorpius evibrat falcata volumina caudæ;
Callidus ut noceat, dira venena tegit.
Magdalis in cineres prætendit Aquarius urnam;
Vix tamen eſt chari pignoris urna capax.
Cætera defunctum comitantur ſidera corpus;
Hinc, atque hinc ſeries flammea funus obit.
Pars inferre faces, flammámque immittere certant;
Ceu foret aſtriferis illa cremanda rogis.
Pars lachrymas fundit, ne Præfica funeris abſit:
Dat ſua, quæ plorent, lumina digna Polus.
Erigitur titulus ſuprema in fronte ſepulchri,
Scripta ubi Divinæ ſunt monumenta necis.

Sidere-

Sidereum eſt carmen, didicerunt ſidera pennam,
Aptius ut poſſent fingere litterulas.
Magdalis hic, Cœlúmque latet; ſi pendis utrumque;
Plus valet hinc penſus, quàm Polus inde, cinis.
Magdalis hic, Cœlúmque latet; ſi lancibus æquas;
Plus gravat hinc lancem, quàm Polus inde, cinis.

LAMENTATIONES HIEREMIÆ ELEGIS REDDITÆ.

Feria V. in Cœna Domini.

LAMENTATIO I.

ALEPH.

QVomodo ſedet ſola Civitas plena populo, facta eſt quaſi Vidua Domina Gentium; Princeps Provinciarum facta eſt ſub Tributo.

VERSIO.

QUomodò ſola ſedet Solymæa Urbs inſtar Eremi
Cum Populi plenis ferveat unda vijs.
Illa Caput mundi gentes dominata per omnes,
Ceu Vidua in ſola fletque, gemitque domo.
Quæque dabat leges Regnis, & Regibus, illa
Cogitur accepto ferre tributa jugo.

BETH.

BETH.

Plorans ploravit in nocte: Et lachrymæ ejus in maxillis ejus; non eſt qui conſoletur eam ex omnibus caris ejus: omnes Amici ejus ſpreverunt eam, & facti ſunt ei inimici.

VERSIO.

FLevit, & in tenebris nimium teſtata dolorem eſt,
Indulſit lachrymis cùm ſine teſte ſuis.
Nec ploraſſe ſatis; cupit & ploraſſe videri:
Extat adhuc madidis pendula gutta genis.
Illius ex charis flenti nemo aſſidet, illam
Attoniti in tantis deſeruere malis.
Si quis amicus erat, poſt vulnera verſus in hoſtem eſt:
Spernitur, inque alto pulvere ſpreta jacet.

GHIMEL.

Migravit Iudas propter afflictionem, & multitudinem ſervitutis: Habitavit inter gentes; Nec invenit requiem; omnes perſecutores ejus apprehenderunt eam inter anguſtias.

VERSIO.

ILle etiam Regni decus, & caput Urbis Iudas,
Cogitur externos exul adire lares.
Maluit ignotis ſervitum gentibus ire,
Ferrea quàm Patriæ vincula ferre ſuæ.

Nec

Nec tamen ille jugum excuſſit, mutavit; ibique
Nulla quies: aucto pondere crevit onus.

Arripiens tempus poſitam premit hoſtis in arcto,
Impellitque gravi, dum ruit illa, manu.

DALETH.

Viæ Sion lugent, eo quòd non ſint qui veniant ad ſolemnitatem: Omnes portæ ejus deſtructæ: Sacerdotes ejus gementes: Virgines ejus ſquallidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine.

VERSIO.

QUin etiam tectis ſuus eſt dolor: ipſa Sionis
Saxa gemunt; lachrymis immaduere viæ.

Cauſa ſubeſt, quòd feſta vacant ſolemnia pompa:
Quòd nulli tangant limina ſacra pedes.

Deſtructis Urbs tota patet malè pervia portis,
Polluat ut ſacros turba profana locos.

Mæſta Sacerdotum flent agmina: veſte puellæ
Virgineum maculant ſordidiore decus.

Ipſa Sion tanti ſub pondere victa doloris,
Corruit, & caſu pene ſepulta ſuo eſt.

HE.

HE.

Facti ſunt hoſtes ejus in capite. Inimici ejus locupletati ſunt, quia Dominus locutus eſt ſuper eam propter multitudinem iniquitatum ejus; parvuli ejus ducti ſunt in captiuitatem ante faciem Tribulantis..

VERSIO.

IN caput incumbens hoſtis dominatur in Arce:
Direptæque graves poſſidet Urbis opes.

Scilicet inſenſus, quibus eſt obnoxia culpis,
Increpat ex alto crimina multa Deus.

Turba inſons trahitur puerorum vincta catenis:
Vix capiunt teneras ferrea vincla manus.

Hos agit à tergo ferus hoſtis, & urget euntes;
Semita purpureo tincta colore rubet.

Hieruſalem, Hieruſalem Convertere ad Dominum Deum tuum.

Hieruſalem Urbs, ò Hieruſalem ne ſperne vocantem:
Converte ad Dominum lumina, corque tuum.

LAMEN-

LAMENTATIO II.

VAV.

Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor ejus: facti ſunt Principes ejus velut arietes non invenientes Paſcua: & abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis.

VERSIO.

AMiſit ſpeciem pulcherrima nata Sionis,
Nullaque nativi ſigna decoris habet.
Principibus ſtupor altus ineſt: gregis inſtar aberrant,
Paſcua quem ſolito deſtituere cibo.
Imbelles vicere illos ſine viribus; hoſtes
Victos ceu timidas ponè ſequuntur oves.

ZAIN.

Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ, & prævaricationis omnium deſiderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cùm caderet populus in manu hoſtili, & non eſſet auxiliator: viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbata ejus.

VERSIO.

HIeruſalem memorat quos pertulit antè dolores,
Cùm miſeros duxit mæſta, gemenſque dies;
Et recolit, mendax quàm ſpes optata fefellit,
Quæ blandita animo finxerat antè ſuo!

Cùm

Cùm caderet Populus crudeli oppreſsus ab hoſte,
Nec foret optatam qui ſibi ferret opem.
Inſpexere oculis illàm indignantibus hoſtes
Ridentes legis Sabbata Sancta ſuæ.

H E T H.

Peccatum peccavit Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt: Omnes qui glorificaverunt eam, ſpreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus: ipſa autem gemens converſa eſt retrorſum.

V E R S I O.

HIeruſalem peccatum ingens peccavit, & ullo
Propterea haud potuit ſiſtere firma loco.
Deſpexere illam, quibus antè fuiſſet honori,
Turpem ignominiæ cùm reperere notis.
Ipſa gemens, pertæſa ſui, converſa retrorſum eſt:
Attonitæ nimius ſuſtulit ora pudor.

T E T H.

Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata eſt finis ſui: depoſita eſt vehementer non habens conſolatorem: Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus. Hieruſalem Hieruſalem, &c.

V E R S I O.

FŒda lues corpus vexavit, & obruit artus:
Sordibus hærentes obſtupuere pedes.
Nec finis memor illa ſui: vehementer ad ima
Præcipitat: tanti eſt nulla medela mali.
Aſpice quanta Deus me pœna afflixerit! hoſtis
Fit tumidus, noſtris erigiturque malis.

LAMEN-

LAMENTATIO III.

IOD.

Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus: quia vidit gentes ingreſſas Sanctuarium ſuum, de quibus præceperas ne intrarent in Eccleſiam tuam.

VERSIO.

QUæque olli fuerant pretioſa, optandaque votis,
Cuncta hoſtes avida præripuere manu.
Viderat heu! gentes templi penetraſſe profanas
Intima, & arcanos contemeraſſe locos.
Gentes, quas olim vetuiſti lege ſevera
Limina polluto tangere prima pede.

CAPH.

Omnis Populus ejus gemens, & quærens panem: dederunt pretioſa quæque pro cibo ad refocillandam animam: Vide Domine, & conſidera, quoniam facta ſum vilis.

VERSIO.

ILlius eſt nemo Populi quin ingemat. Errat,
Atque omni panem quæritat arte ſuum.
Et quæcunque ſibi fuerant pretioſa, dederunt
Prò juſto, miſeris ſit vigor unde, cibo.
In me verte oculos Domine ò, perpende cadentis
Exitium: jaceam quomodo vilis ego!

LAME-

LAMECH.

Ó vos omnes qui tranſitis per viam attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus: quoniam vindemiavit me,ut locutus eſt Dominus in die iræ furoris ſui.

VERSIO.

Vos precor ò quicumque via tranſitis ad Urbem
Mærorem attenta pendite mente meum.
Dicite num ſimilis dolor extitit ullus? an ulli
Par unquam fuerit plaga relata meæ?
Abſtulit heu! noſtros Domini vindemia fructus,
Ne mea poſt maneant funera relliquiæ.
Hæc, memini, fuerat Dominus mihi facta minatus
Cum gravis irati forma furentis erat.

MEM.

De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me: expandit rete pedibus meis: convertit me retrorſum: poſuit me deſolatam tota die mærore confectam.

VERSIO.

Miſit in oſſa ſuas mea Celſus ab æthere flammas,
Eſſent juſtitiæ quæ documenta meæ.
Deque mihi opponens objecit retia plantis,
Deſertaque retro compulit ire via.
Implicitam laqueis, deſolatamque reliquit,
Lugentem caſus nocte, dieque meos.

N V N.

igilavit jugum iniquitatum mearum, in manu ejus convolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo: infirmata eſt virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero ſurgere.
Hieruſalem, &c.

V E R S I O.

נ *Ormavere jugum vigilans mihi crimina, moles*
Urget, & in pœnas excubat illa meas.

Iempe Dei glomerata manu voluuntur in orbes
Implicita, & collo vincula facta meo.

ıfirmata jacet mea magna, & cognita virtus,
In duras Dominus fecit abire manus.

Iæ me præcipitem poſt vulnera tanta dederunt:
Surgendi à caſu ſpes mihi nulla ſubeſt.

Feria ſexta in Paraſceve.

LAMENTATIO IV.

HETH.

Cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum ſuum: & non avertit manum ſuam à perditione: luxitque antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.

VERSIO.

Vertere conſtituit Dominus natæ alta Sionis
Mænia: funiculum cepit & inde ſuum.

Menſuræ ut penitus muri foret æqua ruina,
Nullaque labentis pars ſupereſſe queat.

Noluit à cœpto impulſu deſiſtere: donec
A fundamentis machina tota ruit.

Conſcia venturi muri pars prævia caſus
Luxit: & in lachrymas tota ſoluta cadit.

Ut cecidit: murum par impetus impulit: ambo
Ut pariter ſteterant, ſic cecidere ſimul.

TETH.

fixæ ſunt in terra portæ ejus, perdidit & contrivit
vectes ejus: Regem ejus, & Principes ejus in gen-
ibus; non eſt lex: & Prophetæ ejus non invenerunt
viſionem à Domino.

VERSIO.

Nfixit terræ caſus violentia portas;
Contriti vectes, ruptaque clauſtra labant.
perſit Regem, Proceresque in gentibus: Ara
verſa eſt: perijt lex, periere ſacra.
n ventura ipſos ſolitos prædicere vates
Viſa revelantis deſtituere Dei.

IOD.

erunt in terra: conticuerunt Senes filiæ Sion: conſ-
perſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt cilicijs: ab-
ecerunt in terram capita ſua Virgines Hieruſalem.

VERSIO.

Ederunt in terra humiles, quos nata Sionis
Extulerat, triſtes & tacuere ſenes.
mus hirſutis indutos corpora ſaccis
n canos cineres compoſuiſſe ſuos.
gineæ in terram capita abjecere puellæ,
eu teneri flores imbre gravante caput.

CAPH.

Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea: effuſum eſt in terra jecur meum ſuper contritionem filiæ Populi mei, cùm deficeret parvulus & lactens in plateis oppidi.

VERSIO.

DEfecere oculi plorando, avulſa natarunt
Lumina: ceu medio naufraga facta mari.
Conturbata dolent mea viſcera: rupta pateſcunt:
Alliſere ſolo, cum crepuere jecur.
Sic affecit eam natæ pia cura gementis:
Ilicet huic tanti cauſa doloris erat.
Viderat heu! teneros velli ſibi ab ubere natos,
Et paſſim preſſos morte jacere vijs.

LAMENTATIO V.

LAMED.

Matribus ſuis dixerunt: ubi eſt triticum, & vinum? cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis Civitatis: cûm exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.

VERSIO.

QUiſque puer ſtimulante fame clamare coactus,
Panis ubi eſt Mater, ſunt ubi vina mihi?
Nempe inter matrumque manus, ac ubera cogit
Exhalare animas hinc ſitis, inde fames.
Defecere omnes poſt vulnera multa relicti:
Stabant in medijs corpora ſtrata vijs.

MEM.

M E M.

Cui comparabo te; vel cui aſſimilabo te filia Hieruſalem? cui exæquabo te, & conſolabor te Virgo filia Sion? magna eſt enim velut mare contritio tua; quis medebitur tui?

V E R S I O.

CUi conferre queam Solymæ te ò Filia? cujus
Aut pœnis pœnas aſſimilare tuas?
Quis tantos ò nata Sion eſt paſſa dolores?
Nulla aliena tibi pœna levamen erit.
Creſcit in immenſum mæror tuus, & maris inſtar
Funditur: in reliquos flumina parva fluunt.
Quis poterit tantos pœnarum avertere fluctus?
Quis plagis medicas his adhibere manus?

N V N.

Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & ejectiones.

V E R S I O.

VIderunt portenta tui mendacia Vates,
Mendaceſque oculis impoſuere tuis.
Te tua adulantes celabant crimina: quando
Debuerant lachrymas elicuiſſe tuas.
Hoſtibus ejectis, ſummum te ad culmen ituram
Cantabant; mendax fabula utrumque fuit.

SAMECH.

Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes p
viam: ſibilaverunt,& moverunt caput ſuum ſuper
liam Hieruſalem: Hæccine eſt Urbs, dicentes, pe
fecti decoris, gaudium univerſæ terræ! Hieruſaler
&c.

VERSIO.

Qvicunque hanc trivere viam, riſere jacentem;
Teſtantur plauſæ gaudia falſa manus.
Nec ſatis: irriſor tibi ſibilat ore petulco,
Quaſſat & hoſtili ſubdolus arte caput.
Hæccine formoſa eſt Urbs illa! hæc Orbis amores?
Ad crepitum digiti, more jocantis, ait.

LAMENTATIO VI.

ALEPH.

Ego Vir videns paupertatem meam in virga
indignationis ejus.

VERSIO.

Pauper ego, doctuſque pati mala pauperis, urget
Hoc opus irati ferrea Virga Dei.

ALEPH.

Me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.

VERSIO.

Ille inſtar me duxit ovis: clauſitque tenebris,
Nec potui infuſa nocte videre diem.

ALEPH.

ALEPH.

Tantùm in me vertit, & cõvertit manum ſuam tota die.

VERSIO.

In me iram vertitque gravem, dextramque rubentem
Convertit: ſenſit fulmina miſſa caput.

BETH.

Vetuſtam fecit pellem meam, & carnem meam, contrivit oſſa mea.

VERSIO.

Fervida ab igne caro, cutis arida, toſtaque pellis,
Oſſa minuta ſuis diſſiluere locis.

BETH.

Ædificavit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.

VERSIO.

Conſtituit duro cinctum me includere vallo:
Fel fuit hinc ſeptum, murus & inde labor.

BETH.

In tenebris collocavit me, quaſi mortuos ſempiternos.

VERSIO.

Immerſam tenebris oppreſſit mole ſepulchri,
Unde reſurgendi ſpes mihi nulla foret.

GHIMEL.

Circumædificavit adverſum me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum.

VERSIO.

Ne foret effugium ſeptis me incluſit iniquis,
Addita compedibus ſunt nova vincla meis.

GHIMEL.

Sed & cum clamavero, & rogavero, excluſit orationem meam.

VERSIO.

Id gravius, quòd me clamantem, & multa rogantem,
Reppulit, & ſurda reſpuit aure preces.

GHIMEL.

Concluſit vias meas lapidibus quadris ſemitas meas ſubvertit. Hieruſalem, &c.

VERSIO.

Iamque omnis præcluſa mihi via marmore ſecto eſt.
Heu! miſero nullum ſemita ſignat iter.

Sabbato Sancto.

LAMENTATIO VII.

HETH.

Miſericordiæ Domini quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes ejus.

VER-

VERSIO.

Hiſce malis tamen eſt pietas laudanda Tonantis,
Relliquias paſſus quòd ſupereſſe mei eſt.
Non adeò miſeros procul aſpicit ille: propinquat
Cladibus, enumerat vulnera noſtra pius.

HETH.

Novi diluculo: multa eſt fides tua.

VERSIO.

Novi equidem prima cùm luce Aurora juberet,
Magna Sion miſeræ ſpes tibi, magna fides.

HETH.

Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.

VERSIO.

Vox animæ fuit illa meæ: expectare ſalutem
Me liceat: fiet pars mea quippe Deus.

TETH.

Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum; animæ quærenti illum

VER.

VERSIO.

Præſtat opem Dominus de ſe ſperantibus: ipſi
Suſpiranti animæ ſemper adeſſe ſolet.

TETH.

Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.

VERSIO.

Qui tacet expectans Cœleſtia dona ſalutis,
In ſe ſenſa Dei corde loquentis habet.

TETH.

Bonum eſt viro cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua.

VERSIO.

Utile erit præcepta Dei ſervare volenti
A teneris Domini ſuſtinuiſſe jugum.

IOD.

Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia levavit ſe ſuper ſe.

VERSIO.

Secum habitans, ſolus vivet, tacituſque ſedebit,
Seque ſuper ſcandens it, propiorque Deo.

IOD.

Ponet in pulvere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.

VERSIO.

Corruet in terram, vultumque in pulvere ponet:
Fortaſſe attollet ſpe meliore caput.

IOD.

Dabit percutienti ſe maxillam: ſaturabitur opprobrijs. Hieruſalem, &c.

VERSIO.

Percutienti aliam maxillam exponet, eritque
Obrutus heu! plagis, & ſatur opprobrijs.

LAMENTATIO VIII.

ALEPH.

Quomodo obſcuratum eſt aurum? mutatus eſt color optimus: diſperſi ſunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum.

VERSIO.

QUomodo luce caret rutilum, quod fulſerat, aurum?
Immoriturque genis vividus ille color?
Vincta prius diſperſa jacent ſacra marmora Templi,
Quæ divulſa ſuis ingemuere locis.

Stare

Stare in principijs platearum erecta videbis,
Et monſtrare Vrbis, triſtia ſigna, vias.

BETH.

Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea opus manuum figuli?

VERSIO.

INclyta progenies, ſoboles generoſa Sionis,
Aurea quos veſtis picta tegebat acu.
Quomodo nunc vili revoluti in pulvere ſordent?
Ceu deſpecta luti teſtea vaſa forent.
Quos figulus currente rota confinxerat, idem
Fecerat ut, facili fregit & ille manu.

GHIMEL.

Sed & lamiæ nudaverunt mammam: lactaverunt catulos ſuos: filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.

VERSIO.

QUin lamiæ pulchro ſimulantes ore puellas,
Ubera per paſſos expoſuere ſinus.

Decepere omnes, & fraude hauſere cruorem,
Lactantes catulos ſanguinis imbre ſuos.

Exin ſæva Sion ceu ſtruthio ſævit eremo:
Decipit heu! natos dilaceratque ſuos.

DA-

DALETH.

Adhæſit lingua lactantis ad palatum ejus inſiti: parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

VERSIO.

LActentis ſiccis lingua arida faucibus hæret:
Lacte necat matrum deficiente ſitis.
Confectique fame panem petiere puelli
Sed propè qui poſſet frangere nullus erat.
Scilicet, aut cæſos mors ſuſtulit atra parentes,
Aut fuga ad externos compulit ire lares.

HE.

Qui veſcebantur voluptuosè interierunt in vijs: qui nutriebantur in croceis amplexati ſunt ſtercora.

VERSIO.

FErcula quos, lautæque dapes, & larga juvabant
Pocula, deliciæ deſtituere ſuæ.
Soli, inopes, nummis vacui, victuque carentes
Conſumpti medijs interiere vijs.
Quos crocus, & byſſus, murex, aurumque tegebat,
Pannoſi immundos incoluere locos.

VAV.

Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubverſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus. Hieruſalem, &c.

VER-

VERSIO.

COmmiſit gravius, quàm Sodoma, nata Sionis
Crimen, & infandum vicit iniqua ſcelus.
Momento periјt, ſubitoſque exarſit in ignes
Illa: diu, & varijs interit iſta modis.
Illam non gladius, non dextera perdidit hoſtis,
Hac nullæ hoſtiles abſtinuere manus.

ORATIO HIEREMIÆ

Prophetæ.

Recordare Domine quid acciderit nobis: intuere, & reſpice opprobrium noſtrum.

Flecte oculos Domine: & noſtri reminiſcere caſus:
Aſpice nos quanto ſimus in opprobrio.

Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos: dom us noſtræ ad extraneos.

Jura, & opes noſtras alienus poſſidet hæres:
Occupat & noſtras gens peregrina domos.

Pupilli facti ſumus abſque patre: matres noſtræ quaſi viduæ.

Nos

Nos uti pupillos mors fecit acerba parentum:
Sunt vacuis matres ceu viduæ in domibus.

Aquam noſtram pecunia bibimus: ligna noſtra pretio comparavimus.

Ipſa in potum emitur noſtris de fontibus unda:
Noſtraque dant nobis vendita ligna focum.

Cervicibus noſtris minabamur: laſſis non dabatur requies.

Plura minabamur collo jam pondera onuſto:
Quippe novum laſſos excipiebat onus.

Ægypto dedimus manum, & Aſſyrijs, ut ſaturaremur pane.

Ægypti, Aſſyriæ juga ſumpſimus aſpera gentis:
Pelleret ut panis copia parva famem.

Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt: & nos iniquitates eorum portavimus.

Peccavere Patres noſtri: mors abſtulit illos:
Nos illis patimur debita ſupplicia.

Servi dominati ſunt noſtri; non fuit, qui redimeret de manu eorum.

Noſtra jugo infami ſervorum colla gravantur,
Nec libertatis ſpeſve, moduſve manet.

In animabus noſtris afferebamus panem nobis: à facie gladij in deſerto.

Heu!

Heu! proprio nobis conſtabat ſanguine panis!
Deſertis gladij ſæva rapina locis.

Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt à facie tempeſtatum famis.

Clibanus ut, pellis ſic oſſibus hæret aduſta:
Ignea tempeſtas ceu foret illa fames.

Mulieres in Sion humiliaverunt, & Virgines in civitatibus Juda.

Strata Sione jacet muliebris turba: per Vrbes
Iuda Virginei procubuere chori.

Hieruſalem, Hieruſalem convertere ad Dominum Deum tuum.

Hieruſalem, Vrbs ò Hieruſalem, ne ſperne vocantem!
Converte ad Dominum lumina, corque tuum.

HANC VERSIONEM DEBET PIVS Lector Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Abbati, & Archipresbytero Aloyſio Gradenigo Bibliophylaci S. Marci, Viro eruditiſſimo & ornatiſſimo, qui Iſocratis, & Demoſthenis profanam eloquentiam, & Nazianzeni, & Chryſoſtomi ſacram facundiam omnigenæ doctrinæ ſtudijs excultam in Latium invexit, ac propterea dignus apparuit, qui ejuſdem Illuſtriſſimæ Helenæ Heroinæ ſapientiſſimæ Præceptor eligeretur.

Pſalmus 50. Davidis Pænitentialium potiſſimus ad Elegiam redactus.

Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Ergo mei miſerere Deus, miſerere gementis:
Affer opem magna qua pietate ſoles.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.

Et quoniam multus parcendo, & multus amando es:
Ex animo dele crimina multa meo.

Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Sordida ſanguineo mea crimina fonte lavato,
Et cum ſæpe laves, amplius inde lava.

Nec lavisse ſatis, maculas abſterge relictas,
Et ſupereſſe ullas ne patiare notas.

Qoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Flens ego cognovi mea crimina: ſemper oberrant
Ante oculos, ſtatuunt me memorata reum.

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Peccavi tibi ſoli, & coram te mala feci.
Auſus ego ſum oculos contemerare tuos.

Et quoniam ſunt, qui tecum contendere certant
Iudicio, & facti quærere jura tui:

Parce pius; juſtuſque feri: tua jura tuere,
Victor judiciys ut videare tuis.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce ego primævæ contactus origine culpæ,
Quem tulit infecto mater iniqua ſinu.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

At veri tu Numen amans mihi noſſe dediſti
Quæ ſunt theſauris abdita ſenſa tuis.

Aſperges me Hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Hyſſopo aſperſum me munda, iterumque lavabis,
Ut videar ſupra candidus ire nives.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.

Auribus inde meis cæleſtia gaudia, & oſſa
Exilient putri ſemiſepulta ſitu.

Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

A culpis averte meis tua lumina mitis,
Atque animæ dele crimina cuncta meæ.

Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Cor mundum Deus alme crea: rectuſque novetur
A te viſceribus ſpiritus ille meis.

Ne projicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

A facie me, quæſo, tua ne projice: mecum
Deſinat ah! nunquam ſpiritus eſſe tuus.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.

Redde precor ſpectata tui mihi gaudia Chriſti,
Flamine conſtituar Principe firmus ego.

Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te convertentur.

Doctus ego veniam de te ſperare dolendo,
Erudiam reliquos crimina flere ſua.

Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea juſtitiam tuam.

Eripe ſanguineæ rabidis me motibus iræ:
Ne me præcipitem cogat in arma furor.

Eripe me rurſum laſcivi è fomitis æſtu,
Quo calet incenſo ſanguine dira lues.

Tunc tibi juſta canam gemini pro munere Doni
Carmina, juſtitiæ ductus amore tuæ.

Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.

Os aperi tu Chriſte meum: tu labra reclude:
Decantet laudes ut mea lingua tuas.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis.

Nam ſi cæſa quidem tibi victima noſtra placeret,
Ante aras caderet victima multa tuas.

Sacra

Sacra tibi, quorum ſupereſt pars magna, placebunt:
Nam tibi, quæ pereunt, non holocauſta placent.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.

Spiritus omnigena vexatus ſorte laborum,
Afflictuſque malis hoſtia digna Deo eſt.

Cor tu humile, afflictumque nimis, preſſumque dolore
Haud equidem temnes, deſpicieſque Deus.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jeruſalem.

Perge tuum fundare Sion, animoque volenti
Ædifica Solymæ mænia ſancta tuæ.

Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Iuſtitiæ demùm tibi Victima macta placebit,
Admittes aris tunc Holocauſta tuis.

Sanguine virgineo vitulorum altare rubebit:
Allicient oculos candida liba tuos.

IN OBITVM EMINENTISSIMI PRINCIPIS CARD. SPADÆ

NAENIA LYRICA ILLVSTRISSIMO, & Reverendiſſimo Domino D. VIRGILIO SPADÆ FRATRI DICATA.

QUi te legentem Mors videat ſatos
Per prata flores, ac avida manu
In pulchriores irruentem
Purpurei cupidam decoris,
Amare credat: tam bene ſeligis
Quoſcunque prendis; non alios Amor,
In prata ſi blandus veniret,
Ac legeret, ſibi deſtinaſſet.
Sed qui metentem viderit improba

Te falce prenſos, & roſeum decus
Ferro ſecantem, mox reciſos
Barbarica rabie prementem.
Odiſſe norit. conſcius impiæ
Fraudis; retectas ille tyrannidis
Agnoſcet artes, & tremiſcet,
Attonitus feritate monſtri.
Teque execratus Tartareis ream
Diris vovebit; ſed truculentior
Tu facta Diris, Innocentem
Falce metes, tumulóque condes.
Experta nunc eſt Curia funere
Romana Spadæ, Purpurei Patris,
Fingentis aſtutos amores
Inſidias, rabiémque Mortis.
Eheu! prehendit pignus amabile,
Quo Roma nullum carius in ſinu
Geſtavit unquam, quem vocabant
Delicias, columénque Cives:
Gentis Togatæ præſidium, & decus,
Scientiarum lumen, & aureæ
Ætatis exemplar, Latinas
Qui veterum revocavit Artes.
Vivum Lyceum, nobile litteris
Sacris, profanis, nectare Rhetorum
Sparſum, Poeſis melle mixtum,
Ambroſios referens ſapores.
Quæ forma claro, quæ ſpecies viro!
Proh! quanta in amplo corpore dignitas!
Dignus videri, mox amari
Seposita gravitate dignus.
Pollebat alti viribus ingeni,

Maturi-

Maturitatem judicij gravis
Præ ſe ferebat, pondus ingens
Menti inerat, Venus apta verbis:
Et vaſta rerum vis memor, omnia
Quæ lecta poſſet condere, & edere
Collecta rurſum, ſive Græcæ,
Sive Italæ monumenta Gentis.
Acceſſit uſus rebus in arduis
Legationum, quas objit; Togæ,
Bellíque prudens, & Latinum
Mercurium ſapienter egit.
Fulſit Senatus purpurei Iubar,
Et conſulentis gloria Curiæ,
Doctúſque Mæcenas, ſuarum
Largus opum, miſeris aſylum
Certum Poetis: quos gravis opprimit
Semper ſequaci lege neceſſitas,
Hos fovit, & mixtus canentum
Sæpe choris decus afferebat
Arti jacenti; quam premit invidi
Vis dira vulgi, dum gravibus viris
Suadens Camænis abſtinendum,
Nobilium negat eſſe curas.
Sed Spada vindex impiger extitit
Injuriarum: cultor Apollinis,
Verſúſque fudit, docta movit
Plectra manu, cecinítque voce.
Ergo Camænas perpetuus dolor
Iure occupabit. Iuſtior haud fuit
Unquam dolendi cauſa. Quantum
Roma decus, Latiúmque perdis!
Injurioſo Mors pede proruit

Stantem

Stantem columnam, gloria nominis
Qua nixa Romani manebat,
Et veterum generoſa virtus:
Candórque priſcus, grátaque Comitas,
Simplex honeſtas, ingenuus pudor,
Moréſque ſinceri, tenorque
Innocuæ ſine fraude vitæ.
Nec alma virtus, nec Sapientia,
Nec vota Romæ publica, nec preces,
Nec prona Alexandri voluntas
Indomitam tenuere Mortem.
Quamquam ille ternos cum clypeo minax
Strinxiſſet enſes, irruit impetu
Mors obſtinato, falcis uno
Tres gladios violavit ictu.
Momenta nemo detinet incita
Fatalis horæ, nec locus, aut dies
Quemquam juvabit. Spada morbum
Tiburis in medio ſalubris
Contraxit, ex quo decubuit diu
Romæ, morando fata, ſed exitus
Vitæ imminebat: Tibur olli
Sardiniæ peperit calores
Feralis æſtùs. Hoc Anien gemit
Neglectus undas, villaque Cæſia
Formoſa quondam, nunc decore,
Ac nitido viduata cultu.
Heu! mæſta plorat, quam ſociant propè
Ateſtis udæ deliciæ Domus,
Et Villa, Mæcenas ſonoro
Nomine quam decorat, gemiſcit.
Et quæ ruinis prodita maximis,

Rurſùm:

Rurſúmque duris obſita vepribus
Regnantis Auguſtè ſuperbum
Servat adhuc opus Adriani.
Pulſata vocum murmure, fletibus
Reſpondet Echo, quà Lyrici patet
Sedes Horati, cui Sibyllæ
Dant ſocios monumenta queſtus.
Eructat undas Albuneus lacus
Ira calenti ſervidus igneas:
Quà tranſit urens prata, campos,
Funeris it violentus ultor.
Nec Roma Spadæ dedita Tiburi
cedit dolendo, clarius ingemunt
Tybríſque, Germanæque Nymphæ,
Quas propiùs tremefecit ictus.
Lugent plateæ, roſtra, palatia,
Delubra, circi, pulpita, curiæ,
Et Aula Cœtus Purpurantis
Præcipuo ſpoliata flore.
Unus dolori tu modus, & mora
Poſt dira reſtas funera, Virgili,
Tu rebus afflictis Columna,
Præſidium Domui labanti.
Supplere Fratris tu poteris vices
Germane Frater, ſanguine, moribus,
Virtute, maturæque mentis
Conſiliis, pietate, rerum
Uſu ſacrarum. Tu ſimilem geris
Deſiderati Fratris imaginem;
Sic ora vivus, ſic ferebat
Ille manus, oculóſque. Talis
Obibat Urbem vertice cæteros

Egreſſus

Egreſſus omnes, celſior indole:
Quem turba, quem plauſus faventum
Ponè ſequi ſolitus Quiritum.
Quod ſi levamen reſpuerit mali
Vrbs obſtinatis dedita luctibus,
Cauſas relinques tu dolendi,
Sed nimiùm minues dolorem.

SISTE VIATOR: HIC ſitus eſt

E*Minentiſſimus Princeps Cardinalis Bernardinus Spada: ſeu potius non is, ſed ejus pars mortalis: nam immortalis ad Superos ijt. Fama vice ſui cum deſiderio relicta. Hujus ope ubique vivit. Hujus pennis volat, linguis ſonat, oculis cuſtoditur, ne irrepat oblivio. Non perijt, quem excepit in ſinum parens memoria. Ac ſicut ille omnium geſta ante ſe temporum complexus eſt mente; ita illius virtutes ſequentia poſt eum ſæcula in orbem colligent, & decurrentis filo temporis innodabunt, æternabuntque. Vixit uti mortalis, egit uti æternus. Omnes in illum velut ex compacto confluxere dotes, non tam, ut eum ornarent, quàm, ut ab eo ornamentum acciperent. Spadarum nobilem ſtirpem, & domi claris titulis, & foris bellicis honoribus auxit: auctam propagari ſtuduit, & illuſtribus familijs inſeruit. Sacræ militiæ Nepotum ſanguinem Religiosè addixit. Venetam Rempublicam ob præclara adverſus Turcam hoſtem bellãdi ſtudia, & vivus coluit, & armis ſuorum, & opibus defendit, & moriens legato auro juvit. Species ei digna imperio, ſed animus imperio ſuperior. Vix ulli animæ contigit* Auguſti-

Auguſtius domicilium. Nulli domicilio nobilior hoſpes fuit. ſed heu! nō domicilium, ſed hoſpitium fuit. Generoſus ſine fa-ſtu, gravis citra faſtidiū, magnificus intra moderationē, hu-manus magis, quàm facilis. Amabilis intra reverentiam. Prope amorem, non procul à cultu. Alliciebat benevolentiâ, ſed continebat admiratione. Doctiſſimus litteratorum ho-minum, atquè adeò ultra Mæcenatem Patronus. Obſtruxit luminibus, quibus non caruit, dignitatum, ſplendore virtu-tum. Horrori vitijs fuit, maximè ſordidis. Gratiam non tam paravit, quàm meruit. Ab odio ſibi non timuit, quòd be-nevolentiâ extinxit. Obtrectationi materiam benefactis ſubtraxit. Invidiam cum poſſet incurrere, arcuit admirati-one. Erga fortunam ita ſe geſſit, ut illam ignorare videretur. Rexit ſeſe, ſuaque conſilio. Illius tantum fortunæ privatæ, ultra gentilitiam conſcius, cujus virtutum opera faber fuit, contentus ſuo, caſtigavit vota, nequid immoderatè optarent. Domeſticis occupationibus, & ſtudijs doctrinarum fruendū ſe dedit. Publicis negotijs reliquit uſuram ſui. Collegere in-gentes ex ea fructus legationes, quas obijt. Continuit ſe intra obedientiam Principum, extra ambitionem. Gloriam non neglexit, ſed non nimis curavit. Cuncta in rectè factorum conſcientia ſita habere voluit: quâ nullum maius virtuti theatrum eſt. Hac fretus ſperat reſurgere, & immutari.

Abi hoſpes; & quære, ſicubi invenias parem.

BATA-

BATAVORUM REIPUBLICÆ DIRUTÆ EPICEDIUM.

Elgicus tandem Leo ad vocem Galli
contremuit.
Holandia illa, quæ tam ſubtiles exorſa eſt telas,
in extremo filo jam laborat.
Et qui fidem ejurarunt Regis Catholici,
fidelitatem jurabunt Chriſtianiſſimo.
Quaſi per ludum eos vicit Ludovicus,
Cæſare felicior,
Qui venit, ſed vix vidit, quos vicit:
Tam facilè Holandicum butyrum
eliquatur.
Potentes à ſæculo viri famoſi,
menſe intereunt.
Monstrum eſt, quòd media in æſtate
ita friguerint.
Europæ, atque Aſiæ Arbitri,

unius

unius Regis ſe ſubdunt arbitrio.
Et qui ſtipendiarium fecerant Orbem,
tributum volunt pendere vectigales.
Holandos ſe mari adhuc probarunt,
Sed terrâ Antæi victi conciderunt.
Mercatores ſanè infelices,
qui jam ſolvendo non ſunt.
Immenſæ, quas mari congeſſerant, divitiæ
in mari ipſo naufragantur.
Nanque dum Exercitum Gallicum
aquis parant obruere,
Amſterodamum, commune Orbis ærarium
inundat.
Deplorati jam, qui remedio ipſô pereunt;
nec balneo convaleſcent.
Batavi planè vocantur Piſces,
qui non niſi aquis Delphinum Gallicum
debuerant expectare.
Certè, ſi quando, nunc maximè divitijs natat
Amſterodamum.
Quid mirum? ſi quod aqua dederat Batavis,
aqua ipſa abſtulerit?
A maris ſpumis nati Venerei homines;
in maris ſpumas reſolvi conſequens fuerat:
ut per cauſas, quibus erant nati,
per eaſdem diſſolverentur.
Salis inſtar, quod tantoperè convectabant,
aquis diluuntur.
Quid tandem?
Vis quærere potentiſſimos Holandiæ ſtatus?
Nuſquam in eodem ſtatu permanent.

CHRIS-

CHRISTINA
REGINA
ALEXANDRO
SVMMO
PONTIFICI.

REddita jam Chriſto, caulis ovis addita Romæ,
  Te veneror Chriſti dúxque caputque gregis.
Sum Chriſtina modò, fueram Regina: coronam
  Depoſui, Chriſti cum ſubitura jugum.
Sceptra mihi, regar ut baculo, demiſſa: rejecta eſt
  Purpura, cui Fidei candida veſtis erit.
Victa cado, victrix quæ quondam, & Amazonis inſtar;
  Sed ſub Alexandro te duce victa cado.
Viribus haud vincor: ſuperor pietate: libenter
  Ante tuos flecto ſubdita colla pedes.
O ego ſi poſſem tibi ſubdere colla meorum!
  Cum grege veniſſem præda opulenta meo.

Quod potui, feci: venio privata: ſequentum
Hoc caput intereà pignus, & omen habe.
Hoc ſupereſt: ſacræ dum flector ad oſcula plantæ,
Vt tua ſit capiti planta corona meo.

ALEXANDER
Chriſtinæ.

PAſtor Alexander, Chriſti ſed munere Paſtor
Excipio, ad Chriſtum quam Pater egit, ovem.
Nunc Chriſtina venis, Regínaque juſtiùs: aſtris
Texitur in ſuperis digna corona tibi.
Lilia pro ſceptris capies: ſpondeberis Agno;
Et ſtola tincta ſuo ſanguine veſtis erit.
Me duce Alexandro ſcandes Capitolia victrix,
Cinget & auguſtum laurea parta caput.
Non tu victa cades: per te ruet Hæreſis; aris
Siſtitur hæc, dextræ victima facta tuæ.
Nec tu ſola venis, quæ victo Acheronte, Tyranni
Tartarei tecum rapta trophæa geris.
Pondere, non numero ducor Chriſtina: Caputque
Vnum pro cunctis hoc mihi pondus habet.
Hoc referes, noſtris pia dum das oſcula plantis,
Vt mea ſit pedibus ſubdita Roma tuis.

HEROI-

HEROINÆ ROMANÆ

Chriſtinam Heroidem excipiunt.

ILIA.

ILia ſum Mavorte gravis, Regina Sacerdos;
Pignora Romulidis quæ geminata dedi.
Quos anguſta duos ceperunt viſcera fratres,
Non potuit dominos Urbs capere ampla duos.
Orbis ad imperium dotata eſt Roma cruore:
Parturijt bellum ſanguine pinguis humus.
Expoſiti Infantes mitem ſprevere Parentem,
Nutricem immites & didicere Lupam.
Sed Chriſtina venis nitidis comitantibus Urſis,
Quæ gelido regnant ſidera nata Polo.
Quos Lupa deformes fætus mihi reddidit, Urſis
Admotis pulchros tu mihi redde tuis.

HERSILIA.

ASpicis Herſiliam prædam, Sponſámque Quirini,
Quam tulit in blandos dura per arma thoros.
Nupſi armis, ferróque prius, mox bella diremi,
Quæ ciet hinc Sponſus, quæ movet inde Pater.
Non ego progeniem bellaci ex conjuge cepi:
Pax mihi pro natis unica nata fuit.

Tu Chriſtina tamen nubis felicior aris,
Nullus ubi ſtricto manat ab enſe cruor.
Auſoniјs igitur bellum removebis ab oris:
Virginei fructus pax erit alma thori.

ÆGERIA.

E*N ego Pompilio quæ fida oracula fudi,*
Sácraque mónſtravi, júraque blanda Togæ.
Ut dum bella foris gereret, populóſque domaret,
Servaret leges, imperiúmque domi.
Quantum Roma poteſt armis, & Marte Quirini,
Tantum conſiliјs floret, & arte Numæ.
Me referes Romam veniens Chriſtina togatam:
Conſiliјs poteris tu renovare decus.
Quin quæ ficta dedi, tu vera oracula reddes:
Exemplum hoc magnæ pondera vocis habet.
Sic eris ingenio Divino, & munere plena
Mentis, ut Ægerie mentis egena tuæ.

LUCRETIA.

C*Ujus aperta vides terebrari viſcera ferro,*
Et vada per nudos ire cruenta ſinus,
Illa ego ſum vindex Lucretia ſera pudoris:
Hâc maculam juſtus diluit arte dolor.
Neu fuge conſpectum, quamquàm intemerata refulget,
Quæ laus prima tibi virginitatis ineſt.

Per

Per vim paſſa nefas, mentem inviolata pudicam:
Quod ſcelus expertum eſt, vulnera corpus habet.
Si tibi prima pudor; dolor eſt mihi palma ſecunda:
Qui peccaſſe putat, pænituiſſe ſciat.

CLÆLIA.

EN ego Virginibus quondam comitantibus obſes,
Quæ data Porſennæ Clælia virgo fui.
Vincula ſic rupi, ſic caſtra inimica fefelli,
Auſaque ſic geminum jungere littus equo.
Servavi niveum Romanis civibus agmen,
Infami eripui libera colla jugo.
Quas tunc exuimus, tibi nunc Regina catenas
Offerimus; captis reddere vincla potes.
Haud tulimus vinclis temerari colla profanis,
Vt caperent nexus intemerata tuos.

VIRGINIA.

HOſtia cruda fui niveo mactata Pudori,
Quam miſer innocuo perculit enſe Pater,
Appius injuſto dederat mihi jure catenas,
Poſſet ut optata virginitate frui.
Sanguine libertas, puro ſtetit empta cruore;
Serva ſatis fueram, ſi violata forem.
Nuncia miſſa tibi venio Chriſtina ſub auras,
Ne pudeat ſceptro te ſpoliaſſe tuo.

Quæ Chriſtina manes Virgo, Regina manebis:
Integra quæ Virgo eſt, imperat illa magis.

VETVRIA.

IN patriam ſumptis fureret cùm Filius armis
Marcus, & ardentes ſubderet ira faces.
Per medias rupi Veturia ſola phalanges,
Innocuâ monſtrans ubera lenia manu.
Ardorem juvenis, furiáſque hâc arte repreſſi:
Plus potuit Martis fulmine Matris amor.
Sed Chriſtina tibi cedo Veturia mater,
Armatos ſuperas dum pietate viros.
Auſpicijs Romana tuis Urbs tota quieſcet,
Victrix præſidio virginitatis eris.

CORNELIA.

ILla ego ſum, Latiæ data cui facundia linguæ,
Cui fuit in caſto purior ore Venus.
Nec pigmenta mihi, lux nec fucata colorum:
Candidus at nudâ ſimplicitate nitor.
Nulla mihi externæ fuerant commercia linguæ:
Sola domi Virgo lingua Latina fuit.
Hanc Oratores ex me didicere Latini:
Vna fui Gracchis docta magiſtra meis.
Una externa venis, quæ puriùs Urbe loquaris,
Chriſtina in Scythicis facta Latina jugis.

Si benè maternâ licuit mihi dicere linguâ;
Dicere tu meliùs pluribus una potes.

PORTIA.

CUjus in ore vides ardentes vivere prunas,
Et vix immiſsâ guttur hiare face.
Bruti uxor, rigidi ſum Portia nata Catonis:
Par utriuſque animo, par & utrique fides;
Tempore prima fuit Lucretia; laude ſecunda;
Nam delibato concidit illa thoro.
Aſt ego ſervavi thalamos, caſtúmque cubile:
Vna fuit mortis cauſa probata fides.
Quin etiam ad mortem multùm ingenioſa cucurri:
Mors nitidum monſtrat lucida ab igne decus;
Adventu Chriſtina tuo rediviva reſurgo:
Phænix poſt cineres jure renata meos.

CHRISTINÆ.

Die S. Thomæ Apoſtolo Sacrâ Romam ingredienti.

EPIGRAMMA.

CVr Chriſtina Urbem cùm Romam læta veniret,
Intranti Thomæ contigit illa dies?
Scilicet hâc Chriſti palpavit vulnera Thomas;

At intra miſit vulnera quinque manum.
Hoc aperire fuit ſacris totidem oſtia plagis
Intranti, clauſas & reſerare fores.
Excepta eſt plagis Chriſti Chriſtina fidelis;
Romanâ ad Chriſtum quòd venit illa viâ.
Hæretice hâc iter eſt ad Chriſti vulnera, ducit
Quâ te Romanæ Relligionis iter.

IN CHRISTI NATALI DIE accipit Euchariſtiam.

QUæ domus eſt panis Bethleem natum edit IESVM,
Qui paleas inter panis ad inſtar habet.
Ia Chriſtina hodie Chriſto bene paſta fatetur,
Cui Chriſtus vitæ panis in ore fuit.
Hoc erat, ò Chriſtina, tuum quod ſtemma gerebat:
Iam Chriſti panem protulit illa ſeges.

SACRO CHRISMATE INITIATVR Chriſtina à Summo Pontifice.

VNcta oleo fueras olim Chriſtina, coronam
Cum caperes Regni, dignaque ſceptra tui.
Vngeris aſt oleo Cœleſti, & Chriſmate rurſum,
Ceu caperes Regni nunc diadema novi.
Nunc regnare potes Chriſto cum Rege, Magorum
Cum more ad Chriſtum Relligioſa venis.
His, coram Puero cùm projecêre coronas,

Cinge-

Cingebat nudùm ſtella coruſca caput.
Sic tibi nudatæ nitido diademate frontem,
Quot ſtillas oleum, tot dabit aſtra Polus.

PRANDET CUM ALEXANDRO Chriſtina.

IVngit Alexander Chriſtinam fædere menſæ,
Communéſque Patris reddit amore dapes.
Nunc ovis apparet Chriſti Chriſtina fidelis,
Cum Petri in media paſcitur illa domo.
Iuſtus Alexander Paſtor quoque jure videtur,
Ille ſuam Petri cum vice paſcit ovem.
Nec, quòd Alexander paſcat, mirabere, quando
Ipſe ſuo Chriſtus corpore paſcit ovem.

ALIVD.

MAgnus Alexander blanda inter fercula menſæ
Sparſit amicorum ſanguine ſæpe dapes.
Noſter Alexander ſua fercula pura miniſtrat,
Quæ multum mixtâ pace ſaporis habent.
Ebrius ille odio fædabat ſanguine menſas:
Sobrius iſte pio condit amore dapes.
Magnus Alexander, cùm non foret ille Sacerdos,
Sæpe ſuos mactans, reddere viſus oves.
Noſter Alexander Paſtor ſimul, atque Sacerdos
Paſcere, non unquam cædere, viſus oves.

IN

IN CIRCUNCISIONIS DIE DOmum Profeſſam Societatis IESU adit.

HIc ubi ſanguineum celebratur nomen IESU;
Nam cultri inciſum vulnere nomen habet.
Inſtar ovis Chriſtina pias ſe ſiſtit ad aras;
Inde referre ſuæ ſigna ſalutis amat.
Ergo ſibi nomen de nomine ſumit JESU,
Purpureas ſumit déque colore notas.
Hoc unum deerat tibi, Relligione receptâ;
Nunc Chriſtina unam te patet eſſe gregis.
Ire igitur poſt hac in paſcua ſacra licebit;
Nemo etenim Chriſti non fateatur ovem,
Nomine quam proprio decoratam cernit IESV,
Quam videt inſignem ſanguinis ire notis.

CHRISTINÆ ECCLESIAM S. IACOBI in anniverſario ejuſdem Translationis die viſitanti.

LVxit Iacobi tranſlatis oſſibus olim,
Quæ ſolet Hiſpanis eſſe ſacrata dies.
Hanc Chriſtina colit, templúmque, & ſacra frequentat;
Et cineres celebrat Relligioſa pios.
Nata recens Fidei cineres veneratur: an illa
Expetit in cineres tam citò verſa mori?
Non ita: ſed Phænix eſſe hac ratione probatur:
Ad cineres, Phænix qui fuit ante, redit.

MOR-

MORTEM E PLVMBO FINGI jubet Alexander Septimus.

EPIGRAMMA.

Mortis Alexander cupidus, pia vota refutat:
Vivere quàm cupimus, tam cupit ille mori.
E plumbo jubet artificem ſibi fingere mortem,
Cogitet ut mortem, præcipiatque ſuam.
Nos tamen accipimus votis melioribus omen;
Quippè venit quæ mors plumbea, tarda venit.

ALIVD

In diē Coronationis, qui cum ſerenus illuxiſſet, vix dum coronato Pontifice in fœdiſſimum verſus, ac deinde ſibi redditus eſt.

Sumat Alexander trinæ ut diadema tiaræ,
Teſteturque Dei quas gerit ille vices;
Clara dies oritur, duratque ſerena per horas,
Vix dum perfectis, vertitur atra, ſacris.
Senſit jura Polus: nam ſe quoque numine tangi,
Pontifice electo, ſidera ſumma ſciunt.
Ergo ſigna ſui cultus manifeſta dederunt
Nimbi, auræ, tonitrus, fulgura, grando, nives.

Ac ceu compoſitò obſequij argumenta dediſſent;
Ad genium redijt mitior indè dies.
Qui notet hæc varij diſcrimina temporis, ille
Dicet Pontifici Numen ineſſe Dei.

ALEXANDER VII. VIXDVM creatus Pontifex Capſam ſibi è plumbo futurum conditotium a Bernino Statuario inſigni ad oſculum pedum accedente fieri jubet, & lecto ſupponi ſuo, his verbis.

QUid Bernine meis cupis oſcula figere plantis,
Et prenſare meas ad pia dona manus?
Non priùs elicies votis quæ grandibus optas,
Quàm tua mortalem me notet eſſe manus.
Vade precor, Capſam liquido mihi confice plumbo,
Quæ ſit defuncto corporis urna mei.
Hic tu finge meos juſta ſub imagine vultus,
Arte tua nectant vitaque, morſque vices.
Et quamquam deſcripta tua mors vivat ab arte,
Mors eſt naturæ conditione meæ.
A te alij, ut vivant poſt funera, ſigna requirunt,
A te, quo moriar, mortua ſigna peto.
Quoque magis mortem noſtro deſcripſeris ore,
Hoc animo veniet gratior illa meo.
Sum mortalis ego: nec mors aliena placebit;
Me memorem mortis mors mea ſola facit.
Velle quidem ſtultum eſt aliena vivere vita;
Stultum eſt alterius funere velle mori.

Hanc

Hanc juvat effigiem proprio ſupponere lecto,
Ut propius fratres morſque, ſoporque cubent.
Mixta quies veniet feralis imagine mortis:
Maxima pars ſomni ſomnia mortis erunt.
Efficiam, ut caream ne poſt mea fata ſepulchro:
Qui minùs hoc vivus providet, ille caret.
Defunctis quamquàm eſt facilis jactura ſepulchri;
Non ideo vivis eſt quoque culpa levis.
Non tegitur Cælo dives, qui negligit urnam:
Illum, qui pauper non habet, aſtra tegunt.
Si mihi ſunt ſumptus ad munera ſacra Tiaræ,
Cur non ad funus, buſtaque ſumptus erit?
Efferor invitus dum celſæ ad culmina Sedis,
Efferri juſto funere credor ego.
Nam rapior: trahit ad ſolium violentia Fratrum;
Diſſipat & vires vis mihi facta meas.
Magnum onus impoſitum, cujus ſub mole fatiſco:
Ingenti breviter pondere victus ero.
Obruar, inque meam me deferet impetus urnam:
Hoc magis ad caſum eſt urna paranda mihi.
Molliùs excipiet, tellus quàm nuda, cadentem:
Si gravis eſt caſus, ſit mihi terra levis.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI D. FRANCISCO DE BORIA PRINCIPI DE ESQVILACHE

PROREGI PERVANO REGIJ CVBIculi Clavigero aureo: Ad theſes, quibus nomen: *Parnaſſi nemus*: Madriti in lucem datas.

HOc nemus, hoſpitium Phœbi, ſedémque Sororum
Iure tibi, Princeps Magne, poeta ſacrat.
Vtq̃ decem arboribus tibi dena trophæa reponit;
Quæque ſuo ornatur nomine, quæque tuo.
Virtutis ſedes eſt Laurea, pacis Oliva;
In miſeros facilem Vitis adumbrat opem.
Palma refert animi robur, pietatis imago eſt

Cupreſ-

Cupreſſus; ſignat Populus alba fidem.
Aurea vena Hederæ; Platano facundia; Pino
Ingenij vires, mentis acumen ineſt.
In cives patrium dat civica Quercus amorem;
Has concentu animi dáſque, trahíſque tui.
Vna arbor contenta Deo, & Deus arbore quondam:
At nunc vix potuit par nemus eſſe tibi.

ILLVS-

ILLVSTRISSIMO MARTYRI JACOBO CARVALIO CONIMBRICENSI

APVD JAPPONES PRO CHRISTI nomine nive oppreſſo.

EPIGRAMMA.

DUm furit ignis, ubique ignis, mors ignea ubique,
Omnis & ad ſuperos ignea facta via eſt.
Tu diverſus abis gelidâ nive, nec tibi Cœlum
Clauditur, ad ſuperos, & via facta nive eſt,
Num, quia te gelidis genuit Collimbria nimbis,
Natus in imbre optas in nive ſorte mori?
An quia tacta malum prædicit fulmine quercus,
Appetis o Quercus fauſta futura nivem?

Credo equidem, quòd erat maior tuus ardor amoris,
In gelidas rapuit te tua flamma nives.
Sive mori placuit, mereris nive certiùs: ignis
Non perit igne: nequis igneus igne mori.
Vivere ſeu placuit, vivis nive clariùs: ignem
Vivere in igne levis gloria, ſumma nive.



IN EFFIGIEM ILLUSTRISSIMI Domini D. DIONYSII MASSARII SACRÆ CONGREGATIonis de Propaganda fide Secretarij digniſſimi.

EPIGRAMMA.

VIvit in hac tabula pictus Dionyſius: oris
Quantus honor, frontis gloria quanta: vide:
Nec pictura ſatis ſuperat natiuos colores;
Forma nec humana redditur arte decor.
Eſt digna Imperio ſpecies: ergo adde tiaras,
Lemniſcos, rubras, pictor, & adde togas.

Vt quem non potuit tabulâ deſcribere ſudor
Artificis, ſaltem juſtus adumbret honor.

IN EFFIGIEM THEODOSII Principis Luſitaniæ Armatam.

EPIGRAMMA.

PRincipis armati qui figis imagine viſus,
Fixus & in vultu Martia ſigna notas:
Ac dubitas, ſit ne effigies ea bellica Martis?
Tantus in armato fulgurat ore Deus!
Accipe: communis Theodoſi, & Martis imago eſt:
Eſſe putat vultus ille, vel ille ſuos.
Quin dubia artificis finxit pro Principe Martem,
Fingere cum vellet Principis ora, manus.
Erravit: felix ſed tranſijt error in artem;
Ni daret hic Martem, non daret iſta parem.

IN EANDEM STATVAM,

ALIVD.

MAgnus Alexander cavit, ſe fingere nequa
Præter Lyſippi poſſet in ære manus.
Tantus honor vultûs, tantum decus extitit artis:
Vt foret una duûm gloria, & una fides.

Si tamen hanc faciem Theodoſi ex ære videret,
Spirantem vivi Martis ab ore minas:
Invidiæ ſtimulis, & imaginis actus amore,
Edictum rurſus conderet ille novum:
Ne me aliâ poſthac Lyſippus imagine fingat,
Quàm quæ Theodoſij Principis ora refert.



ANIMADVERSIO.

NIhil à me frequentiùs, & vehementiùs poſtulatum, quàm ut Indicem librorum meorum texerem, quod nemo hactenus, & ſi nonnulli tentarint, accuratè præſtitit. A quo ego tamen ſemper abſtinui, quod nomen Indicis horreo, aſſuetus libros à capite ad calcem perpetuos legere, & ſolitus improbare eos, qui Indices, & Elenchos, Concordantias, & id genus opera inveſtigarunt. Verùm, quòd nuper Illuſtriſſimus Dominus Antonius Magliabecchus Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ Bibliophylax vir litteratiſſimus, & mihi omni officiorum genere conjunctiſſimus, cui omnes authorum fibræ, ac medullæ notæ ſunt, quibus ille ſe totum legendo inſinuat, & omnium ſenſa colligit, & in numerato habet, adeò ut ipſe ex ijs vivat, & rurſum ipſi in eo vivant, & quocunque ſe ferat bibliothecas circunferat memoria ſua felici, & prodigioſa animatas, id à me repetitis litteris petierit, non potui non efficere, quod flagitarat. Itaque, quod alij potentibus imperijs extorquere non potuerunt, ille mollibus precibus, tanta eſt mea in eum benevolentia, impetravit.

ELENCHVS LIBRORVM PATRIS FRANCISCI A S. AVGVSTINO MACEDO

in lucem editorum.

Notato tempore, deſignato loco.

QVos in Societate ſcripſit, deſcripſit Pater Philippus Alegambe ejuſdem Societatis, qui Madriti P. Macedum novit in Regia illa, tum primùm inſtituta, Academia docentem, in ſua Bibliotheca, his verbis.

Franciſcus de Macedo natione Luſitanus, patria Conimbricenſis in Societatem venit annum agens XIV. ætatis: in ea Rhetoricam complures annos, Philoſophiam uno, Chronologiam aliquot ſubinde docuit: vir planè eruditus, & in pangendis Carminibus feliciſſimus, ac venæ uberrimæ. Edidit.

Theſes Rhetoricas omni eruditione refertas, quas Madridij publicè propoſuit his titulis.

Theſaurus eruditionis pro Sole Zodiacum percurrente.

Parnaſſi nemus Poeticis arboribus conſitum.

Viridarium eloquentiæ Rhetoricis floribus diſtinctum.

Scripſit prætereà.

Apotheoſim S. Franciſci Xaverij Lyrico carmine lib. 3.

Apotheoſim S. Eliſabethæ Reginæ Luſitaniæ lib. 1. Lyricorum.

Epitomen Chronologiæ ab Orbe condito ad Chriſtum natum.

Artem Poeticam juſto volumine.

Elegias 7. in mortem P. Franciſci de Mendoza, quæ extant in Mauſoleo eidem Patri erecto ad calcem Viridarij ipſius.

Hiſpanicè verò ſcripſit, atque edidit:

Vitam Domini D. Ludovici de Ataide Pro-regis Indiæ Madridij.

Reliqua, quæ edidit, recenſere poterunt ij, ad quos tranſivit. Hactenus Philippus.

Hæc tu mi lector ſic ordinabis.

Apotheoſim S. Franciſci Xaverij Epico Carmine Olyſipone ann. 1621.

Apotheoſim S. Eliſabethæ Reginæ Luſitaniæ Epico Carmine Conimbricæ anno 1624.

Theſes Rhetoricas proximè nominatas in vnum volumen conjectas Madriti anno 1628.

Epito-

Epitomen Chronologiæ ab Orbe condito ad Chriſtum natum ann. 1634.

Artem Poeticam juſto volumine. Hæc non vidit lucem.

Elegias 7. Has in libris non numero: Typis mandatæ ſunt Lugduni ann. 1626.

Vitam Domini D. Ludovici de Ataide lingua Hiſpanica in q. Madriti ann. 1633.

Hiſtoriam recentium Martyrum Iaponenſium eadem lingua in q. Madriti ann. 1632.

Hæc in Societate.

In Ordine Sancti Franciſci.

Apologeticus pro Luſitania vindicata. Pariſijs anno 1641. in q.

Ius ſuccedendi in Regnum Luſitaniæ cum Hiſtoria Luſitaniæ liberatæ, & Schemate genealogico competitorum de Regno Luſitaniæ. Pariſijs eodem ann. 1642. in f.

Elogia Gallorum Aquis Sextijs eodem anno 1641. in q.

Deſcriptio villæ Iuquij, & Sanctæ Baumes, ideſt, ſpeluncæ S. Magdalenæ. Aquis Sextijs eodem anno 1641. verſibus in oct.

Panegyricus Vrbano Octavo: Apes Barberinæ, Lyra Barberina, Roma vetus, & nova Carmine heroico in unum volumen conjecta. Romæ anno 1642. in quarto.

Honor vindicatus. Rupellæ anno 1642. in octavo.

Philippica Portugueſa Hiſpanice. Olyſipone 1643. in f.

Propug-

Propugnaculum Luſitano Gallicum. Pariſijs anno 1646. in f.

Laurus Harcourtia. Pariſijs. Ann. 1647. in q.

Cortina Auguſtini. Pariſijs anno 1648. in q.

Teſſera Pontificia pro dignitate, & authoritate Papæ. Londini ann. 1652. in q.

Controverſia Eccleſiaſtica inter fratres Minores Lõdini ann. 1653. in Oct.

Lituus Luſitanicus contra tubam Anglicanam Londini ann. 1652. in q.

Mens divinitus inſpirata Pontifici Innocencio Decimo ſuper quinque propoſitiones Ianſenij. Londini. 1654. in q.

Scrinium Auguſtini. Londini anno 1634. in quarto.

Domus Sadica, ideſt, familia nobilium Luſitanorum cum eorum geſtis deſcripta. Londini anno 1654. in f.

Roſæ Alexandrinæ, ideſt electio Pontificis Alexandri VII. cum panegyrico, & poematis omnis generis. Romæ anno 1655. in q.

Pallas Togata, ideſt Regina Sueciæ ad Fidem converſa. Romæ anno 1656. in q.

Encyclopædia. Romæ anno 1657. in f.

Vita S. Ioannis de Matha, & Felicis de Valois fundatorum ordinis Redemptorum Sanctiſſimæ Trinitatis. Romæ ann. 1660. in oct.

De Clavibus Petri. Romæ ann. 1660. in f.

Archigymnaſij Romanæ Sapientiæ deſcriptio. Romæ 1661. in oct.

Theatrum Meteorologicum. Romæ anno 1661. in oct.

Dia

Diatriba de Adventu S. Iacobi in Hiſpaniam. Romæ anno 1662. in q.

Controverſiæ ſelectæ. Romæ ann. 1663. in duodecimo.

Scholæ Theologicæ poſitivæ Romæ anno 1664. in f.

Aſſertor Romanus, ſive Vindiciæ Romani Pontificis, & Pontificatus Romæ ann. 1666. in f.

Vita Thereſiæ, & Sanciæ Reginarum Luſitanarum. Romæ ann. 1667. in oct.

Concentus Euchologicus Venetijs anno 1668. in folio.

Vita S. Turibij Archiepiſcopi Limani. Venetijs anno 1668. in q.

Pictura Veneta. Venetijs ann. 1669. in q.

Collationes Sancti Thomæ, & Scoti ad 1. ſentent. Patavij ann. 1675. in f.

Collationes S. Thomæ: & Scoti alter Tomus ad 2. ſentent. Patavij in f.

Azymus Euchariſticus. Veronæ ann. 1673. in octavo.

Diſquiſitio Eccleſiaſtica ſuper Azymo Euchariſtico Veronæ ann. 1673. in q.

Commentationes duæ Polemicæ pro S. Auguſtino Veronæ 1674. in q.

Reſponſio ad Notas Critici. Veronæ anno 1654. in quarto.

Mirothecium ex documentis moralibus ann. 1675. Patavij in q.

Libri qui perierunt.

Hiſtoria expeditionis Braſilicæ ad Bahiam recuperandam. Ann. 1625. in q.

Liber de generibus, & differentijs ſtyli, tum Rhetorici, tum Poetici, tum Hiſtorici, tum Epiſtolaris. Conimbricæ ann. 1626. in oct.

Vita pij Viri Dominici Ioannis Laici Ieſuitæ, tum Latinè, tum Luſitanicè in oct.

Scientia Rhetorica, Madriti ſcripta. In f. caſu amiſſa.

Scientia Poetica opus accuratiſſimum. Madriti in f. Æmulorum fraude interverſa,

Bella Hiſpanorum cum Gallis lingua Hiſpanica. Madriti in q.

Invenietur apud Ducem de Villahermoſa.

Deſcriptio Poetica Heroico Carmine Palatij Madritenſis ruſticani. Reperietur in Bibliotheca Comitis de Olivares 3. millia verſuum Epicorum.

Adverſaria collecta ex omnibus operibus S. Auguſtini. Ingens tomus. Hunc Guardianus mei Ordinis, quòd erat interpunctus, & ex chartis ſolutis malè compoſitus, , putans eſſe aliquod opus inutile, combuſſit, magno meo dolore, & aliqua, opinor, doctrinæ Auguſtinianæ jactura.

Vita S. Roſæ Limenſis Dominicanæ, quæ prima omnium ſcripta fuit, ſervatur ad Minervæ, Romæ, in quarto.

Libri

Libri confecti, & in lucem edendi.

Hiſtoria de bello Luſitanico, dudum, ex quo fui in Angliam miſſus, interrupta: cujus libri duo, ad ideam Titi Livij, ſunt confecti: & meam adhuc expectat perfectricem manum.

Liber de Concilijs univerſalibus, & particularibus. In f.

Liber Apologeticus contra Caronem, & Valſium Romanæ Eccleſiæ adverſarios. In q.

Calamitas erudita in q.

Diatriba de opinione probabili in q.

Lucerna Macedi, in oct.

Diſſertatio de Validitate Matrimonij Ethnicorum, præſertim Tunchinenſium Barbarorum. In quarto.

Traductio Ludovici Camonij Principis Poetarum Luſitaniæ in Latinam linguam Heroico item Carmine, opus magni laboris, & accurationis. In q.

Continet Myriadem fermè verſuum totidem Poetæ verſibus reſpondentium.

Subdit prælo tertium tomum Collationum in 3. Sent. S. Thom. & Scot.

Habet præ manibus librum inſcriptum: Proſper redivivus contra Narratorem.

Vrget alium, cujus titulus eſt Accipiter, ſive Sparaverius Rafretij plumis veſtitus, deplumatus, & vigintiquinque errorum convictus.

Erit, qui velit noſſe opera vaga, & ſolitaria. Hæc, quòd ſunt plurima, ægrè numerari poſſunt, & ægriùs inveniri. Verùm obiter attingam. Panegyricos dixi quinquaginta tres. Orationes Latinas habui ſexaginta.

ta. Laudationes, ſive funebres orationes, trigintaduas. Poemata Epica recitavi publicè quadraginta octo. Elegias compoſui centum viginti tres. Epitaphia centum quindecim. Epiſtolas dedicatorias ducentas duodecim. Familiares ſeptingentas. Poemata Epica juſta bis mille ſexcenta. Elegias quingentas. Odas centum decem. Epigramata, & id genus alia pluſquam tria millia. Comœdias Latinas quatuor. Tragœdias duas. Satyram unam Hiſpanicè. Carmina, quantum recolendò prætèrità conſequi poſſum, omnis generis, quæ ſcripſi, ac ex tempore fudi, ea opinor centũ, & quinquaginta myriades poſſe conficere.

Tandem animaduerto de multis me quæſtionibus fuiſſe conſultum, quarum aliæ ad alias doctrinas ſpectàbant, quædam propriè ad praxim, tum Moralis Theologiæ, tum juris Canonici, tum Civilis pertinebant, & in numerum venire poſſunt, quæ Sãcti Officij Qualificatoribus, inter quos Romæ fui, proponi ſolent. Earum reſponſa, quæ ſunt diſperſa, ſi colligantur, ingentem tomum efficient.

FINIS.